This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

https://books.google.com



Digitized by Google

BIBL. 3æ PROB.
U. 7 S. J.

Digitized by Google

Digitized by Google

L. Veron.

Digitized by Google

L 23/105

BIBLIOTHÈQUE
"Les Fontaines"
S J
60 – CHANTILLY

Digitized by Google

Digitized by Google

LIBER PRECUM

AD USUM

GALLICI SEMINARII DE URBE

ALUMNORUM

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA ROMANA
1881

Digitized by Google

* Precibus, quae asterisco notantur, indulgentiae annexae sunt.

Digitized by Google

LIBER PRECUM

PRECES MATUTINAE

Regi saeculorum immortali et invisibili, soli Deo honor et gloria, in saecula saeculorum. Amen.

OREMUS

Domine Deus omnipotens, qui ad principium hujus diei nos pervenire fecisti, tua nos hodie salva virtute, ut in hac die ad nullum declinemus peccatum, sed semper ad tuam justitiam faciendam nostra procedant eloquia, dirigantur cogitationes et opera. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

OREMUS

Dirigere et sanctificare, regere et gubernare dignare, Domine Deus Rex coeli et terrae, hodie corda et corpora nostra, sensus, sermones et

Digitized by Google

actus nostros in lege tua et in operibus mandatorum tuorum; ut hic et in aeternum, Te auxiliante, salvi et liberi esse mereamur, Salvator mundi, qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

OREMUS

Actiones nostras, quaesumus, Domine, aspirando praeveni et adjuvando prosequere: ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Pater, Ave, Credo.

Cor Jesu sacratissimum, Miserere nobis

Cor Mariae immaculatum, Ora pro nobis.

Dulcissime Jesu, qui ineffabiles Cordis tui divitias Ecclesiae tuae aperire dignatus es: concede; ut hujus sacratissimi Cordis amori respondentes, quae tibi sunt placita diligenter con-

Digitized by Google

cupiscere, prudenter investigare, veraciter agnoscere et perfecte adimplere valeamus, ad laudem et gloriam nominis tui.

Omnipotens sempiterne Deus, qui beatissimae Virginis Mariae Cor sanctissimum, gratiae Spiritus Sancti donis cumulatum, et ferventiori charitate accensum esse voluisti: praesta; ut qui Cor illud dulcissimum et amantissimum toto affectu veneramur, ejus intercessionibus secundum Cor Jesu inveniri valeamus. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Sancta Maria et omnes Sancti intercedant pro nobis ad Dominum: ut nos mereamur ab eo adjuvari et salvari, qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

OREMUS

A cunctis nos, quaesumus Domine, mentis et corporis defende periculis: et intercedente beata et gloriosa semper Virgine Dei genitrice

Digitized by Google

Maria, cum beato Joseph, beatis Apostolis tuis Petro et Paulo et beato Joanne, beato Aloysio atque beata Clara et omnibus Sanctis, salutem nobis tribue benignus et pacem; ut, destructis adversitatibus et erroribus universis, Ecclesia tua secura tibi serviat libertate.

Deus, qui mundum universum beatorum Petri et Pauli Apostolorum praedicatione docuisti: da Ecclesiae tuae eorum in omnibus sequi praeceptum, per quos religionis sumpsit exordium. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

*Angele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna, hodie illumina, custodi, rege et guberna.

℣. In conspectu Angelorum psallam Tibi, Deus meus.

℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

OREMUS

Deus, qui ineffabili providentia san-

Digitized by Google

ctos Angelos tuos ad nostram custodiam mittere dignaris; largire supplicibus tuis; et eorum semper protetione defendi, et aeterna societate gaudere. Per Christum.

Veni sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium: et tui amoris in eis ignem accende.

℣. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur.

℟. Et renovabis faciem terrae.

OREMUS

Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere. Per Christum.

Sequitur oratio mentalis seu meditatio, qua peracta, dicitur:

* O Jesu vivens in Maria, veni et vive in famulis tuis, in spiritu sanctitatis tuae, in plenitudine virtutis tuae, in veritate virtutum tuarum, in per-

Digitized by Google

fectione viarum tuarum, in communione mysteriorum tuorum: dominare omni adversae potestati, in Spiritu tuo, ad gloriam Patris. Amen.

Sub tuum praesidium confugimus, sancta Dei Genitrix: nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris; et a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta.

Deinde dicitur Salutatio Angelica. *

BREVIS MEDITANDI METHODUS

Praeparatio remota.

Remove obstacula, spiritum hujus mundi, mentis dissipationem etc.

Adhibe virtutes oppositas, spiritum humilitatis, mortificationis, orationis etc.

Praeparatio proxima.

Praelege meditationem pridie.

Expergefactus primo cogita de meditatione facienda.

Cogitationes conformes fove.

Accede animo tranquillo.

Initium.

Deum praesentem cogita — adora — pete gratiam bene orandi.

Digitized by Google

Praeludia.

1. Mysterium contemplandum ob oculos pone, ac si coram te ageretur.

2. Fructum e meditatione eruendum pete.

MEDIUM.

Memoria materiam meditationis in mentem revocat.

Intellectus perpendit:

1. Quae veritas consideranda?

2. Quae conclusio practica ex veritate deducenda?

3. Quae motiva ad conclusionem practicam servandam inducunt?

4. Quomodo id hactenus observatum?

5. Quid in posterum faciendum?

6. Quale impedimentum removendum?

7. Quale medium eligendum?

Voluntas 1. affectus excitat per totam meditationem corde plus quam ore, e x. gr. laudis, gratiarum actionis, admirationis, confusionis, doloris, deprecationis, amoris etc.

2. proposita format particularia, practica, accommodata praesenti necessitati.

FINIS.

Colloquium ad B. Virginem — Jesum Christum — Patrem coelestem, uti filii ad Patrem — servi ad Dominum — amici ad Amicum — aegri ad Medicum etc.

Tessera seligenda ex S. Scriptura vel SS. Patribus per diem repetenda, ut meditationis fructus servetur.

Digitized by Google

AD PARTICULARE EXAMEN

* LITANIAE SS. NOMINIS JESU

Kyrie eleison,
Christe eleison,
Kyrie eleison,
Jesu audi nos,
Jesu exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, miserere nobis
Fili Redemptor mundi Deus,
Spiritus Sancte Deus,
Sancta Trinitas unus Deus,
Jesu, Fili Dei vivi,
Jesu, splendor Patris,
Jesu, candor lucis aeternæ,
Jesu, Rex gloriæ,
Jesu, sol justitiæ,
Jesu, Fili Mariæ Virginis,
Jesu, amabilis,
Jesu, admirabilis,
Jesu, Deus fortis,
Jesu, pater futuri sæculi,

miserere nobis.

Digitized by Google

Jesu, magni consilii Angele,
Jesu, potentissime,
Jesu, patientissime,
Jesu, obedientissime,
Jesu, mitis et humilis corde,
Jesu, amator castitatis,
Jesu, amator noster,
Jesu, Deus pacis,
Jesu, auctor vitæ,
Jesu, exemplar virtutum,
Jesu, zelator animarum,
Jesu, Deus noster,
Jesu, refugium nostrum,
Jesu, pater pauperum,
Jesu, thesaurus fidelium,
Jesu, bone pastor,
Jesu, lux vera,
Jesu, sapientia æterna,
Jesu, bonitas infinita,
Jesu, via et vita nostra,
Jesu, gaudium Angelorum,
Jesu, Rex Patriarcharum,
Jesu, Magister Apostolorum,
Jesu, Doctor Evangelistarum,
Jesu, fortitudo Martyrum,

miserere nobis.

Digitized by Google

Jesu, lumen Confessorum, miserere nobis.
Jesu, puritas Virginum,
Jesu, corona Sanctorum omnium,
Propitius esto, parce nobis, Jesu.
Propitius esto, exaudi nos, Jesu.
Ab omni malo, libera nos, Jesu.
Ab omni peccato,
Ab ira tua,
Ab insidiis diaboli,
A spiritu fornicationis,
A morte perpetua,
A neglectu inspirationum tuarum,
Per mysterium sanctæ Incarnationis tuae,
Per nativitatem tuam,
Per infantiam tuam,
Per divinissimam vitam tuam,
Per labores tuos,
Per agoniam et passionem tuam,
Per crucem et derelictionem tuam,
Per languores tuos,
Per mortem et sepulturam tuam,
Per resurrectionem tuam,
Per ascensionem tuam,

libera nos Jesu.

Digitized by Google

Per gaudia tua, libera nos Jesu.
Per gloriam tuam,
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis, Jesu.
Jesu, audi nos,
Jesu, exaudi nos.

OREMUS

Domine Jesu Christe, qui dixisti Petite, et accipietis; quaerite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis: quaesemus, da nobis petentibus divinissimi tui amoris affectum, ut te toto corde, ore et opere diligamus, et a tua numquam laude cessemus.

Sancti nominis tui, Domine, timorem pariter et amorem fac nos habere perpetuum, quia nunquam tua gubernatione destituis, quos in soliditate tuæ dilectionis instituis. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat,

Digitized by Google

in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Finito examine, dicitur:

O Domina mea, Sancta Maria! me in tuam benedictam fidem ac singularem custodiam, et in sinum misericordiae tuae, hodie et quotidie et in hora exitus mei, animam meam et corpus meum tibi commendo; omnem spem et consolationem meam, omnes angustias et miserias meas, vitam et finem vitae meae tibi committo: ut per tuam sanctissimam intercessionem et per tua merita, omnia mea dirigantur et disponantur opera, secundum tuam tuique Filii voluntatem. ℟. Amen.

Digitized by Google

AD PRECES VESPERTINAS

℣. Benedicta sit sancta et individua Trinitas.

℟. Nunc et semper et per infinita saecula saeculorum. Amen.

Omnipotens sempiterne Deus, qui famulos tuos per hanc diem incolumes transire, atque in confessione verae fidei testimoniis tuis constanter inhaerere fecisti: exaudi nos, quaesumus, vespertina vota nomini tuo cum gratiarum actione reddentes, et ab omni in posterum adversitate custodi. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Illumina nos, Domine, qui hominum vias et vestigia pedum misericorditer consideras, et cordis nostri tenebras, Spiritu tuo inflante, expelle; ut peccata et negligentias nostras agnoscere, et corde contrito deflere valeamus, qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Digitized by Google

Post conscientiae examen fit confessio communis, deinde dicitur:

℣. Domine non secundum peccata nostra facias nobis.

℟. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

℣. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.

℟. Et salutare tuum da nobis.

℣. Oremus pro Pontifice nostro N.

℟. Dominus conservet eum, et vivificet eum et beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in animam inimicorum ejus.

℣. Oremus pro benefactoribus nostris.

℟. Retribuere dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam aeternam. Amen.

℣. Oremus pro fidelibus defunctis.

℟. Requiem aeternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis.

℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

Digitized by Google

℣. Pro fratribus nostris absentibus.

℟. Salvos fac servos tuos, Deus meus sperantes in te.

℣. Mitte eis auxilium de sancto.

℟. Et de Sion tuere eos.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere: suscipe deprecationem nostram; ut nos et omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuae pietatis clementer absolvat.

Deus omnium fidelium Pastor et rector, famulum tuum N... quem Pastorem Ecclesiae tuae præesse voluisti: propitius respice; da ei, quaesumus, verbo et exemplo quibus præest proficere: ut ad vitam, una cum grege sibi credito, perveniat sempiternam.

Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul et mortuorum, omniumque misereris quos tuos

Digitized by Google

fide et opere futuros esse prænoscis: Te supplices exoramus; ut pro quibus effundere preces decrevimus, quosque vel præsens sæculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus sanctis tuis, pietatis tuae clementia omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Pater noster. — Ave Maria.

* LITANIAE LAURETANAE

Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus,
Spiritus Sancte Deus,
Sancta Trinitas unus Deus,
Sancta Maria, ora pro nobis,

Digitized by Google

Sancta Dei Genitrix,
Sancta Virgo Virginum,
Mater Christi,
Mater divinae gratiae,
Mater purissima,
Mater castissima,
Mater inviolata,
Mater intemerata,
Mater amabilis,
Mater admirabilis,
Mater Creatoris,
Mater Salvatoris,
Virgo prudentissima,
Virgo veneranda,
Virgo praedicanda,
Virgo potens,
Virgo clemens,
Virgo fidelis,
Speculum justitiae,
Sedes sapientiae,
Causa nostrae laetitiae,
Vas spirituale,
Vas honorabile,
Vas insigne devotionis,
Rosa mystica,

ora pro nobis.

Digitized by Google

Turris Davidica,
Turris eburnea,
Domus aurea,
Foederis arca,
Janua coeli,
Stella matutina,
Salus infirmorum,
Refugium peccatorum,
Consolatrix afflictorum,
Auxilium christianorum,
Regina Angelorum,
Regina Patriarcharum,
Regina Prophetarum,
Regina Apostolorum,
Regina Martyrum,
Regina Confessorum,
Regina Virginum,
Regina Sanctorum omnium,
Regina sine labe originali concepta,

ora pro nobis.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi,
parce nobis Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi,
exaudi nos Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi,
miserere nobis.
Christe audi nos, Christe exaudi nos.

Digitized by Google

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS

Defende quaesumus, Domine, Beata Maria semper Virgine intercedente, istam ab omni adversitate familiam; et toto corde tibi prostratam, ab hostium propitius tuere clementer insidiis. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

℣. Dignare Domine nocte ista,

℟. Sine peccato nos custodire.

OREMUS

Visita quaesumus, Domine, habitationem istam, et omnes insidias inimici ab ea longe repelle: angeli tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant, et benedictio tua sit super nos semper. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Noctem quietam et finem perfectum concedat nobis Dominus omnipotens. Amen.

Digitized by Google

PRO REMISSIONE PECCATORUM

Miserere mei, Deus: secundum magnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum: dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea: et a peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: et peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi et malum coram te feci: ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: et in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti: incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi.

Asperges me hyssopo et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium et laetitiam: et exultabunt ossa humiliata.

Digitized by Google

Averte faciem tuam a peccatis meis: et omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne projicias me a facie tua: et spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi laetitiam salutaris tui: et spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas: et impii ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meae: et exsultabit lingua mea justitiam tuam.

Domine labia mea aperies: et os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique: holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.

Benigne fac Domine, in bona voluntate tua Sion: ut aedificentur muri Jerusalem.

Digitized by Google

Tunc acceptabis sacrificium justitiae, oblationes et holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.

Gloria Patri. Sicut erat.

Pater noster.

℣. Adiuva nos, Deus salutaris noster.

℟. Et propter gloriam nominis tui Domine, libera nos, et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

℣. Ab occultis meis munda me, Domine.

℟. Et ab alienis parce servo tuo.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS

Deus, qui non mortem sed poenitentiam desideras peccatorum: fragilitatem conditionis humanae benignissime respice, et conatus nostros pietate tua prosequere; ut per immensam misericordiam tuam peccatorum nostrorum veniam, in tuo servitio constantiam, et tandem praemia perseverantibus promissa feliciter consequamur. Per Christum.

Digitized by Google

ORATIONES PRO DEFUNCTIS

De profundis clamavi ad te Domine: Domine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuae intendentes: in vocem deprecationis meae.

Si iniquitates observaveris, Domine: Domine, quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo eius: speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem: speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel: ex omnibus iniquitatibus eius.

℣. Requiem aeternam dona eis, Domine. ℟. Et lux perpetua luceat eis.

℣. Requiescant in pace. ℟. Amen.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Digitized by Google

Oremus

Fidelium Deus omnium Conditor et Redemptor: animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur, qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Pro defuncto sacerdote.

Deus qui inter apostolicos sacerdotes famulum tuum sacerdotali fecisti dignitate vigere: praesta, quaesumus, ut eorum quoque perpetuo aggregetur consortio. Per Christum.

Pro defuncto vel defuncta.

Inclina Domine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tuam supplices deprecamur; ut animam famuli tui (vel famulae tuae) quam de hoc saeculo migrare jussisti, in pacis ac lucis regione constituas, et sanctorum tuorum jubeas esse consortes. Per Christum.

Digitized by Google

ORDO MISSAE

Ad ablutionem manuum

Da, Domine, virtutem manibus meis ad abstergendam omnem maculam: ut sine pollutione mentis et corporis valeam tibi servire.

Ad paramenta

Impone, Domine, capiti meo galeam salutis ad expugnandos diabolicos incursus.

Dealba me, Domine, et munda cor meum: ut in sanguine Agni dealbatus gaudiis perfruar sempiternis.

Praecinge me, Domine, cingulo puritatis, et extingue in me humorem libidinis: ut maneat in me virtus continentiae et castitatis.

Merear, Domine, portare manipulum fletus et doloris: ut cum exultatione recipiam mercedem laboris.

Redde mihi, Domine, stolam immortalitatis quam perdidi in praevaricatione primi parentis, et quamvis indignus accedo ad tuum sacrum mysterium, merear tamen gaudium sempiternum.

Domine, qui dixisti: jugum meum suave est, et onus meum leve: fac, ut istud portare sic valeam, quod consequar tuam gratiam. Amen.

Digitized by Google

Pro dalmatica diaconus dicit:

Indue me, Domine, indumento salutis et vestimento laetitiae, et dalmatica justitiae circumda me semper.

Pro tunicella subdiaconus dicit:

Tunica jucunditatis et indumento laetitiae induat me Dominus.

INTRA MISSAM

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

℣. Introibo ad altare Dei.

℟. Ad Deum qui laetificat juventutem meam.

Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta: ab homine iniquo et doloso erue me.

Quia tu es, Deus, fortitudo mea: quare me repulisti? et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?

Emitte lucem tuam et veritatem tuam: ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum et in tabernacula tua.

Et introibo ad altare Dei: ad Deum qui laetificat juventutem meam.

Confitebor tibi in cithara Deus, Deus meus: quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei et Deus meus.

Digitized by Google

Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto.
Sicut erat in principio et nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

℣. Introibo ad altare Dei.

℟. Ad Deum qui laetificat juventutem meam.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit coelum et terram.

Deinde fit confessio communis alternatim.

℣. Deus tu conversus vivificabis nos.

℟. Et plebs tua laetabitur in te.

℣. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.

℟. Et salutare tuum da nobis.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS

Aufer a nobis, quaesumus Domine, iniquitates nostras : ut ad Sancta sanctorum puris mereamur mentibus introire. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oramus te Domine, per merita Sanctorum tuorum, quorum reliquiae hic sunt, et omnium Sanctorum : ut indulgere digneris omnia peccata mea. Amen.

Kyrie eleison (*ter*). Christe eleison (*ter*). Kyrie eleison (*ter*).

Digitized by Google

Gloria in excelsis Deo. Et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Laudamus te. Benedicimus te. Adoramus te. Glorificamus te. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Domine Deus Rex coelestis, Deus Pater omnipotens. Domine Fili unigenite Jesu Christe. Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris. Qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis. Quoniam tu solus sanctus. Tu solus Dominus. Tu solus altissimus, Jesu Christe. Cum sancto Spiritu, in gloria Dei Patris. Amen.

Leguntur Orationes, Epistola, Graduale, Alleluia etc.

Munda cor meum, ac labia mea, omnipotens Deus, qui labia Isaiae Prophetae calculo mundasti ignito: ita me tua grata miseratione dignare mundare, ut sanctum Evangelium tuum digne valeam nuntiare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Jube, Domine, benedicere. Dominus sit in corde meo et in labiis meis: ut digne et competenter annuntiem Evangelium suum. Amen.

Legitur Evangelium.

Credo in unum Deum, Patrem omnipo-

Digitized by Google

tentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium, et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri: per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de coelis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine: et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis: sub Pontio Pilato passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas. Et ascendit in coelum: sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos: cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum, Dominum et vivificantem: qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur: qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi. Amen.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Legitur Offertorium. - Ad Oblationem Hostiae:

Suscipe, sancte Pater, omnipotens aeterne

Digitized by Google

Deus, hanc immaculatam Hostiam, quam ego indignus famulus tuus offero tibi Deo meo vivo, et vero, pro innumerabilibus peccatis, et offensionibus, et negligentiis meis, et pro omnibus circumstantibus, sed et pro omnibus fidelibus Christianis vivis, atque defunctis: ut mihi et illis proficiat ad salutem in vitam aeternam. Amen.

Ad Benedictionem Aquae

† Deus, qui humanae substantiae dignitatem mirabiliter condidisti, et mirabilius reformasti: da nobis per hujus aquae et vini mysterium, ejus divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostrae fieri dignatus est particeps, Jesus Christus Filius tuus Dominus noster: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus: per omnia saecula saeculorum. Amen.

Ad Oblationem Calicis

Offerimus tibi, Domine, calicem salutaris, tuam deprecantes clementiam: ut in conspectu divinae Majestatis tuae, pro nostra, et totius mundi salute cum odore suavitatis ascendat. Amen.

Post Oblationem

In spiritu humilitatis, et in animo contrito suscipiamur a te, Domine: et sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi, Domine Deus.

Digitized by Google

Veni, sanctificator omnipotens aeterne Deus, et bene✝dic hoc sacrificium tuo sancto nomini praeparatum.

Ad Benedictionem Incensi

Per intercessionem beati Michaelis Archangeli stantis a dextris altaris incensi, et omnium electorum suorum, incensum istud dignetur Dominus bene✝dicere, et in odorem suavitatis accipere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Ad Incensionem Altaris

Incensum istud a te benedictum, ascendat ad te, Domine, et descendat super nos misericordia tua.

Dirigatur, Domine, oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiae labiis meis: ut non declinet cor meum in verba malitiae, ad excusandas excusationes in peccatis.

Accendat in nobis Dominus ignem sui amoris, et flammam aeternae charitatis. Amen.

Ad Ablutionem

Lavabo inter innocentes manus meas: et circumdabo altare tuum, Domine.

Digitized by Google

Ut audiam vocem laudis: et enarrem universa mirabilia tua.

Domine, dilexi decorem domus tuae: et locum habitationis gloriae tuae.

Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam: et cum viris sanguinum vitam meam.

In quorum manibus iniquitates sunt: dextera eorum repleta est muneribus.

Ego autem in innocentia mea ingressus sum: redime me, et miserere mei.

Pes meus stetit in directo: in ecclesiis benedicam te, Domine.

Gloria Patri etc.

Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offerimus ob memoriam passionis, resurrectionis, et ascensionis Jesu Christi Domini nostri: et in honorem beatae Mariae semper Virginis, et beati Joannis Baptistae, et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et istorum, et omnium Sanctorum: ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem: et illi pro nobis intercedere dignentur in coelis, quorum memoriam agimus in terris. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Orate fratres: ut meum, ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem.

℟. Suscipiat Dominus sacrificium de mani-

Digitized by Google

bus tuis, ad laudem et gloriam nominis sui, ad utilitatem quoque nostram, totiusque Ecclesiae suae sanctae.

Amen.

Leguntur Secretae et Praefatio.

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth: Pleni sunt coeli et terra gloria tua. Hosanna in excelsis. - Benedictus qui venit in nomine Domini. Hosanna in excelsis.

CANON

Te igitur, clementissime Pater, per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum supplices rogamus ac petimus, uti accepta habeas et benedicas, haec † dona, haec † munera, haec † sancta sacrificia illibata, in primis quae tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta catholica: quam pacificare, custodire, adunare, et regere digneris toto orbe terrarum, una cum famulo tuo Papa nostro *N.* et Antistite nostro *N.* et omnibus orthodoxis, atque catholicae et apostolicae fidei cultoribus.

Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum *N.* et *N.*, et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, et nota devotio: pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, pro se, suisque omnibus: pro re-

Digitized by Google

demptione animarum suarum, pro spe salutis et incolumitatis suae; tibique reddunt vota sua aeterno Deo, vivo et vero.

Communicantes, et memoriam venerantes, in primis gloriosae semper virginis Mariae, Genitricis Dei et Domini nostri Jesu Christi: sed et beatorum Apostolorum ac Martyrum tuorum, Petri et Pauli, Andreae, Jacobi, Joannis, Thomae, Jacobi, Philippi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Thaddaei: Lini, Cleti, Clementis, Xysti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chrysogoni, Joannis et Pauli, Cosmae et Damiani: et omnium Sanctorum tuorum, quorum meritis precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tuae muniamur auxilio. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Hanc igitur oblationem servitutis nostrae, sed et cunctae familiae tuae, quaesumus Domine, ut placatus accipias: diesque nostros in tua pace disponas, atque ab aeterna damnatione nos eripi, et in electorum tuorum jubeas grege numerari. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Quam oblationem tu Deus in omnibus, quaesumus, bene†dictam, ad†scriptam, ra†tam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris: ut nobis Cor†pus, et San†guis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri

Digitized by Google

Jesu Christi. Qui pridie quam pateretur, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, et elevatis oculis in coelum, ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens bene†dixit, fregit deditque discipulis suis dicens: Accipite et manducate ex hoc omnes,

HOC EST ENIM CORPUS MEUM.

Simili modo postquam coenatum est, accipiens et hunc praeclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas: item tibi gratias agens bene†dixit deditque discipulis suis dicens: Accipite et bibite ex eo omnes.

HIC EST ENIM CALIX SANGUINIS MEI, NOVI ET ÆTERNI TESTAMENTI: MYSTERIUM FIDEI: QUI PRO VOBIS ET PRO MULTIS EFFUNDETUR IN REMISSIONEM PECCATORUM.

Haec quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.

Unde et memores, Domine, nos servi tui, sed et plebs tua sancta, ejusdem Christi Filii tui Domini nostri tam beatae passionis, necnon et ab inferis resurrectionis, sed et in coelos gloriosae ascensionis: offerimus praeclarae majestati tuae de tuis donis ac datis, Hostiam † puram, Hostiam † sanctam, Hostiam † immaculatam,

Digitized by Google

Panem † sanctum vitae aeternae, et Calicem † salutis perpetuae.

Supra quae propitio ac sereno vultu respicere digneris: et accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui justi Abel, et sacrificium patriarchae nostri Abrahae, et quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech, sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.

Supplices te rogamus, omnipotens Deus: jube haec perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, in conspectu divinae majestatis tuae: ut quotquot, ex hac altaris participatione, sacrosanctum Filii tui Cor†pus et San†guinem sumpserimus, omni benedictione coelesti et gratia repleamur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Memento etiam Domine, famulorum famularumque tuarum *N.* et *N.* qui nos praecesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis. Ipsis Domine, et omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerii, lucis et pacis, ut indulgeas, deprecamur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Nobis quoque peccatoribus famulis tuis, de multitudine miserationum tuarum sperantibus, partem aliquam et societatem do-

Digitized by Google

nane digneris cum tuis sanctis Apostolis et Martyribus: cum Joanne, Stephano, Matthia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnete, Caecilia, Anastasia, et omnibus Sanctis tuis: intra quorum nos consortium, non aestimator meriti, sed veniae, quaesumus, largitor admitte. Per Christum Dominum nostrum.

Per quem haec omnia, Domine, semper bona creas, san†ctificas, vivi†ficas, bene† dicis, et praestas nobis. Per † ipsum, et cum † ipso, et in † ipso, est tibi Deo Patri † omnipotenti, in unitate Spiritus † sancti, omnis honor et gloria.

Per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

OREMUS

Praeceptis salutaribus moniti, et divina institutione formati, audemus dicere: Pater noster etc. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

Amen.

Libera nos, quaesumus Domine, ab omnibus malis, praeteritis, praesentibus et futuris; et intercedente beata et gloriosa semper virgine Dei Genitrice Maria, cum beatis Apostolis tuis Petro et Paulo, atque Andrea, et omnibus Sanctis, da propitius pacem in diebus nostris: ut ope misericordiae tuae adjuti, et a peccato simus

Digitized by Google

semper liberi, et ab omni perturbatione securi. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus.

Per omnia saecula saeculorum.

℟. Amen.

Pax † Domini sit † semper vobis†cum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Haec commixtio et consecratio Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi, fiat accipientibus nobis in vitam aeternam. Amen.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.

Ad communionem

Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: ne respicias peccata mea, sed fidem Ecclesiae tuae: eamque secundum voluntatem tuam pacificare et coadunare digneris. Qui vivis et regnas Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu

Digitized by Google

sancto, per mortem tuam mundum vivificasti: libera me per hoc sacrosanctum Corpus, et Sanguinem tuum, ab omnibus iniquitatibus meis, et universis malis: et fac me tuis semper inhaerere mandatis, et a te nunquam separari permittas. Qui cum eodem Deo Patre et Spiritu sancto vivis et regnas Deus in saeculorum. Amen.

Perceptio Corporis tui, Domine Jesu Christe, quod ego indignus sumere praesumo, non mihi proveniat in judicium et condemnationem: sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamentum mentis et corporis, et ad medelam percipiendam. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Panem coelestem accipiam, et nomen Domini invocabo.

Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea. *(ter)*

Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen.

Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero.

Digitized by Google

Sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen.

Quod ore sumpsimus Domine, pura mente capiamus: et de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum.

Corpus tuum, Domine, quod sumpsi, et Sanguis, quem potavi, adhaereat visceribus meis: et praesta, ut in me non remamaneat scelerum macula, quem pura et sancta refecerunt sacramenta. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Legitur Communio.

℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Leguntur Postcommunio et Orationes.

Dominus vobiscum.... Ite missa est.

Placeat tibi, sancta Trinitas, obsequium servitutis meae, et praesta: ut sacrificium, quod oculis tuae majestatis indignus obtuli, tibi sit acceptabile, mihique, et omnibus pro quibus illud obtuli, sit, te miserante, propitiabile. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Benedicat vos omnipotens Deus, Pater, et Filius, † et Spiritus sanctus.

℟. Amen.

Legitur ultimum Evangelium.

Digitized by Google

* ORATIO

CORAM IMAGINE CRUCIFIXI RECITANDA

(Ind. plen. sub consuetis conditionibus)

En ego, o bone et dulcissime Jesu, ante conspectum tuum genibus me provolvo, ac maximo animi ardore te oro atque obtestor, ut meum in cor vividos fidei, spei et charitatis sensus, atque veram peccatorum meorum poenitentiam, eaque emendandi firmissimam voluntatem velis imprimere, dum magno animi affectu et dolore, tua quinque vulnera mecum ipse considero ac mente contemplor, illud prae oculis habens, quod jam in ore ponebat suo David propheta de Te, o bone Jesu: *Foderunt manus meas et pedes meos; dinumeraverunt omnia ossa mea.*

*TRISAGIUM

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum. Plena est terra gloria tua: Gloria Patri, gloria Filio, gloria Spiritui Sancto.

Digitized by Google

* ORATIO

PRO UNIVERSIS

Pietate tua, quaesumus Domine, nostrorum solve vincula peccatorum, et intercedente Beata semperque Virgine Dei Genetrice Maria, cum Beatis Apostolis tuis Petro et Paulo et omnibus Sanctis, nos famulos tuos et loca nostra in omni sactitate custodi; omnes consanguinitate, affinitate ac familiaritate nobis coniunctos a vitiis purga, virtutibus illustra; pacem et salutem nobis tribue; hostes visibiles et invisibiles remove; carnalia desideria repelle; aerem salubrem indulge; amicis et inimicis nostris charitatem largire; Urbem tuam custodi; Pontificem nostrum N. conserva; omnes Praelatos, Principes cunctum-Populum Christianum ab omni adversitate defende. Benedictio tua sit super nos semper; et omnibus Fidelibus defunctis requiem aeternam concede. Per Christum.

Digitized by Google

* BREVES ACTUS
FIDEI, SPEI ET CHARITATIS

Credo, Domine, omnia et singula quae sancta Ecclesia tua catholica, apostolica, romana credenda me docet, quia Tu, summa Veritas, ea ipsi revelasti.

Spero, Domine, per merita D. N. J. C., hic tuam gratiam et remissionem peccatorum, posthac vitam aeternam, quia Tu infinite fidelis ea pie petentibus promisisti.

Amo te, Deus meus, super omnia, et proximum sicut meipsum propter te, quia Tu, infinita Bonitas, summe dignus es qui ameris ab omnibus.

ACTUS CONTRITIONIS

Miserere mei, Deus, et parce peccatis meis: de his enim maxime doleo, quia tuae sanctitati displicent, et summam tuam bonitatem offendunt, cui fideliter magis in futurum, te adjuvante, servire volo ac spondeo.

Digitized by Google

AD SPIRITUM SANCTUM

* *Hymnus*

VENI, Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple superna gratia,
Quae tu creasti pectora.
Qui diceris Paraclitus,
Altissimi donum Dei,
Fons vivus, Ignis, Charitas,
Et spiritalis Unctio.
Tu septiformis munere,
Digitus paternae dexterae,
Tu rite promissum Patris,
Sermone ditans guttura.
Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis,
Virtute firmans perpeti.
Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus:
Ductore sic te praevio,
Vitemus omne noxium.

Digitized by Google

Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atque Filium,
Teque utriusque Spiritum,
Credamus omni tempore.
Deo Patri sit gloria,
Et Filio qui a mortuis,
Surrexit ac Paraclito,
In saeculorum saecula. Amen.

℣. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur.

℟. Et renovabis faciem terrae.

OREMUS

DEUS, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de eius semper consolatione gàudere. Per Christum.

* *Sequentia*

Veni, sancte Spiritus, Et emitte coelitus, Lucis tuae radium.

Veni, Pater pauperum, Veni dator munerum, Veni, lumen cordium.

Consolator optime, Dulcis hospes animae, Dulce refrigerium.

Digitized by Google

In labore requies, In aestu temperies, In fletu solatium.

O lux beatissima, Reple cordis intima, Tuorum fidelium.

Sine tuo numine, Nihil est in homine, Nihil est innoxium,

Lava quod est sordidum, Riga quod est aridum, Sana quod est saucium.

Flecte quod est rigidum, Fove quod est frigidum, Rege quod est devium.

Da tuis fidelibus, In te confidentibus, Sacrum septenarium.

Da virtutis meritum, Da salutis exitum, Da perenne gaudium. Amen.

℣. Cor mundum crea in me, Deus.

℟. Et spiritum rectum innova in visceribus meis.

OREMUS

Deus, cui omne cor patet, et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum: purifica per infusionem Sancti Spiritus cogitationes cordis nostri; ut te perfecte diligere et digne laudare mereamur. Per Christum.

Digitized by Google

OFFICIOLUM S. SPIRITUS

AD MATUTINUM

℣. Spiritus sancti gratia.
℟. Illuminare digneris sensus et corda nostra.
℣. Domine, labia mea aperies.
℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.
℣. Deus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
℣. Gloria Patri, etc.

Hymnus

Jam Christus astra ascenderat,
Reversus unde venerat.
Patris fruendum munere
Sanctum daturus Spiritum.
Solemnis urgebat dies,
Quo mystico septemplici
Orbis volutus septies
Signat beata tempora.
Sit laus Patri cum Filio,
Sancto simul Paraclito,
Nobisque mittat Filius
Charisma sancti Spiritus. Amen.

Antiph. Veni sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium: et tui amoris in eis ignem accende.
℣. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur.
℟. Et renovabis faciem terrae.

Digitized by Google

OREMUS

Adsit nobis, quaesumus Domine, virtus Spiritus sancti: quae et corda nostra clementer expurget, et ab omnibus tueatur adversis. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit, et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

AD PRIMAM

℣. Spiritus sancti gratia
℟. Illuminare digneris sensus et corda nostra.
℣. Deus in adjutorium etc.

Hymnus

Ignis vibrante lumine
Linguae figuram detulit,
Verbis ut essent proflui,
Et charitate fervidi.
Linguis loquuntur omnium,
Turbae pavent gentilium,
Musto madere deputant
Quos Spiritus repleverat.
Sit laus Patri cum Filio etc.

Antiph. Veni sancte Spiritus, etc... *cum* ℣. *et oratione ut supra.*

AD TERTIAM

℣. Spiritus sancti gratia.
℟. Illuminare digneris sensus etc.
℣. Deus in adjutorium etc.

Digitized by Google

Hymnus

Cum lucis hora tertia
Repente mundus intonat,
Apostolis orantibus,
Deum venire nuntiat.
De Patris ergo lumine
Decorus ignis almus est,
Qui fida Christi pectora
Calore verbi compleat.
Sit laus Patri cum Filio etc.

Antiph. Veni Sancte Spiritus, etc. *cum* ℣. *et oratione ut supra.*

AD SEXTAM

℣. Spiritus Sancti gratia.
℟. Illuminare digneris sensus etc.
℣. Deus in adjutorium etc.

Hymnus

Impleta gaudent viscera
Afflata sancto Spiritu,
Vocesque diversas sonant,
Fantur Dei magnalia.
Notique cunctis gentibus.
Graecis, Latinis, Barbaris,
Simulque demirantibus,
Linguis loquuntur omnium.
Sit laus Patri cum Filio etc.

Antiph. Veni sancte Spiritus etc. *cum* ℣. *et oratione ut supra.*

Digitized by Google

AD NONAM

℣. Spiritus sancti gratia.
℟. Illuminare digneris sensus, etc.
℣. Deus in adjutorium etc.

Hymnus

Patrata sunt haec mystice,
Paschae peracto tempore,
Sacro dierum circulo,
Quo lege fit remissio.
Te nunc Deus piissime,
Vultu precamur cernuo,
Illapsa nobis coelitus
Largire dona Spiritus.
Sit laus Patri cum Filio etc.

Antiph. Veni sancte Spiritus etc. *cum* ℣. *et oratione ut supra.*

AD VESPERAS

℣. Spiritus sancti gratia.
℟. Illuminare digneris sensus etc.
℣. Deus in adjutorium etc.

Hymnus

Veni Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple superna gratia,
Quae tu creasti pectora.
Qui diceris Paraclitus,
Altissimi donum Dei,
Fons vivus, Ignis, Charitas,
Et spiritalis Unctio.

Digitized by Google

Tu septiformis munere,
Digitus paternae Dexterae,
Tu rite promissum Patris,
Sermone ditans guttura.
Sit laus Patri cum Filio etc.

Antiph. Veni sancte Spiritus etc. *cum* ℣. *et oratione ut supra.*

AD COMPLETORIUM

℣. Spiritus sancti gratia.
℟. Illuminare digneris sensus etc.
℟. Converte nos Deus salutaris noster.
℟. Et averte iram tuam a nobis.
℣. Deus in adjutorium etc.

Hymnus

Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.
Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus,
Ductore sic te praevio
Vitemus omne noxium.
Per te sciamus da Patrem
Noscamus, atque Filium,
Teque utriusque Spiritum
Credamus omni tempore
Sit laus Patri cum Filio etc.

Antiph. Veni sancte Spiritus, etc. *cum* ℣. *et oratione ut supra.*

Digitized by Google

AD SS. SACRAMENTUM

Ave, verum corpus natum
De Maria Virgine;
Vere passum, immolatum
In cruce pro homine:
Cujus latus perforatum,
Unda fluxit et sanguine:
Esto nobis praegustatum
Mortis in examine.
O Jesu dulcis! O Jesu pie!
O Jesu, Fili Mariae!
Tu nobis miserere. Amen.

Ecce panis Angelorum, Factus cibus viatorum, Vere panis filiorum, Non mittendus canibus.

In figuris praesignatur, Cum Isaac immolatur, Agnus Paschae deputatur, Datur manna patribus.

Bone Pastor, panis vere, Jesu, nostri miserere: Tu nos pasce, nos tuere: Tu nos bona fac videre, In terra viventium.

Digitized by Google

Tu qui cuncta scis et vales, Qui nos pascis hic mortales, Tuos ibi commensales, Cohaeredes et sodales Fac sanctorum civium. Amen.

---

* Respice, Domine Sancte Pater, de Sanctuario tuo et excelso coelorum habitaculo, et vide hanc sacrosanctam Hostiam, quam tibi offert magnus Pontifex noster, Sanctus Puer tuus, Dominus Jesus pro peccatis fratrum suorum; et esto placabilis super multitudinem malitiae nostrae. Ecce vox Sanguinis fratris nostri Jesu clamat ad te de Cruce. Exaudi Domine, placare Domine, attende et fac, ne moreris propter temetipsum, Deus meus, quia nomen tuum invocatum est super civitatem istam et super populum tuum: et fac nobiscum secundum misericordiam tuam. Amen.

Ut civitatem istam defendere, pacificare, custodire, conservare et benedicere digneris.

Te rogamus audi nos.

Digitized by Google

Adoro te devote, latens Deitas,
Quae sub his figuris vere latitas:
Tibi se cor meum totum subjicit,
Quia, te contemplans, totum deficit.
Visus, tactus, gustus in te fallitur,
Sed auditu solo tuto creditur:
Credo quidquid dixit Dei Filius;
Nil hoc verbo veritatis verius.
In cruce latebat sola Deitas,
At hic latet simul et humanitas:
Ambo tamen credens atque confitens,
Peto quod petivit latro poenitens.
Plagas, sicut Thomas, non intueor,
Deum tamen meum te confiteor:
Fac me tibi semper magis credere,
In te spem habere, te diligere.
O memoriale mortis Domini,
Panis vivus, vitam praestans homini;
Praesta meae menti de te vivere,
Et te illi semper dulce sapere.
Pie Pellicane, Jesu Domine,
Me immundum munda tuo sanguine:
Cujus una stilla salvum facere
Totum mundum quit ab omni scelere.

Digitized by Google

Jesu, quem velatum nunc aspicio,
Ora fiat illud, quod tam sitio,
Ut te revelata cernens facie,
Visu sim beatus tuae gloriae. Amen.

---

*Anima Christi, sanctifica me.
Corpus Christi, salva me.
Sanguis Christi, inebria me.
Aqua lateris Christi, lava me.
Passio Christi, conforta me.
O bone Jesu, exaudi me.
Intra tua vulnera absconde me.
Ne permittas me separari a te.
Ab hoste maligno defende me.
In hora mortis meae voca me.
Et jube me venire ad te.
Ut cum sanctis tuis laudem te,
In saecula saeculorum. Amen.

---

* Laudetur et superexaltetur, omni momento, Sanctissimum et Divinissimum Eucharistiae Sacramentum.

* Dulcissime Jesu, non sis mihi Judex, sed Salvator.

* Jesu, Deus meus, super omnia amo te.

Digitized by Google

*Pange, lingua, gloriosi
Corporis mysterium,
Sanguinisque pretiosi
Quem in mundi pretium
Fructus ventris generosi
Rex effudit gentium.
Nobis datus, nobis natus
Ex intacta Virgine,
Et in mundo conversatus,
Sparso verbi semine,
Sui moras incolatus
Miro clausit ordine.
In supremae nocte coenae
Recumbens cum fratribus,
Observata lege plene,
Cibis in legalibus,
Cibum turbae duodenae
Se dat suis manibus.
Verbum caro, panem verum
Verbo carnem efficit,
Fitque sanguis Christi merum;
Et si sensus deficit,
Ad firmandum cor sincerum,
Sola fides sufficit.

Digitized by Google

Tantum ergo Sacramentum
Veneremur cernui,
Et antiquum documentum
Novo cedat ritui:
Praestet fides supplementum
Sensuum defectui.
Genitori, Genitoque
Laus et jubilatio;
Salus, honor, virtus quoque
Sit et benedictio;
Procedenti ab utroque
Compar sit laudatio. Amen.

℣. Panem de coelo praestitisti eis.

℟. Omne delectamentum in se habentem.

OREMUS

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti: tribue, quaesumus, ita nos corporis et sanguinis tui sacra mysteria venerari; ut redemptionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis et regnas.

Digitized by Google

Jubilus post communionem

Ad quem diu suspiravi
Jesum tandem habeo,
Hunc amplector, quem optavi,
Quem optavi teneo.
Omnes meae exsultate
Facultates animae,
Exsultate, triumphate
Et ingresso plaudite.
Tristis eram et abjectus,
Eram sine gaudio,
Quia aberat Dilectus,
Quem prae cunctis diligo:
Sed ut venit et intravit
Animae tugurium:
O quam dulce permeavit
Meum cor solatium!
Non sic terras umbris tectas
Gratus sol illuminat,
Non sic aestibus dejectas
Nimbus herbas recreat,
Sicut animam languentem
Refocillat Dominus,
Hanc tristantem et torpentem

Digitized by Google

Novis donat viribus.
Felix dies, felix hora,
Qua me, Jesu, visitas!
Pulchra nimis et decora
Lux, ad me qua properas!
Qui te tenet habet satis,
Quia qui te possidet,
Uberem felicitatis
Verae fontem obtinet.
Quis non tuam admiretur
Bonitatem, Domine,
Si quod facis meditetur
Serio examine?
Ad te ruo, ad me ruis,
Et me sinis protinus
Immiscere meos tuis
Amplexus amplexibus.
Nihil eram, me creasti
Ex obscuro nihilo,
Divinaeque me donasti
Rationis radio.
Pro me nasci voluisti
In deserto stabulo,
Et finire morte tristi
Vitam in patibulo.

Digitized by Google

Praeter dona, quibus ditas
Me diebus singulis,
Dapes hodie mellitas
Datis addis gratiis;
O voluptas cordis mei
Jesu dilectissime!
In me regna, Fili Dei,
Regna, regna libere.
In me proprium amorem
Tam potenter eneces,
Ut te amem et adorem
Solum, sicut dignus es.
In me tolle quod est puris
Grave tuis oculis,
Ut sic arctius venturis
Tibi jungar saeculis.
Oriente sole mane,
Occidente vespera,
Bone Jesu, mecum mane,
Mecum semper habita!
Nil a te, nec mors, nec vita,
Nil a te me separet;
Unio sit infinita,
Quam vis nulla terminet.
Canam donec respirabo

Digitized by Google

Gratiarum cantica.
Millies haec iterabo
In coelesti patria,
Quando te, remoto velo,
Sicut es aspiciam,
Et cum angelis in coelo
In aeternum diligam! Amen.

—

*Dio sia benedetto.

Benedetto il suo santo nome.

Benedetto Gesù Christo, vero Dio, vero uomo.

Benedetto il nome di Gesù.

Benedetto Gesù nel Santissimo Sacramento dell'altare.

Benedetta la gran Madre di Dio, Maria Santissima.

Benedetta la sua santa ed Immacolata Concezione.

Benedetto il nome di Maria Vergine e Madre.

Benedetto Iddio nei suoi Angeli e nei suoi santi.

Digitized by Google

OFFICIOLUM
DE SS. SACRAMENTO

AD MATUTINUM

℣. Venite, comedite panem meum.
℟. Bibite vinum, quod miscui vobis.
℣. Domine labia mea aperies.
℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.
℣. Deus in adjutorium meum intende.
℟. Domine, ad adjuvandum me festina,
℣, Gloria Patri etc.

Hymnus

Sacris solemnis juncta sint gaudia.
Et ex praecordiis sonent praeconia.
Recedant vetera, nova sint omnia,
Corda, voces, et opera.
Noctis recolitur coena novissima,
Qua Christus creditur agnum et azyma
Dedisse fratribus, juxta legitima
Priscis indulta patribus.
Te Trina Deitas, unaque poscimus,
Sic nos tu visita, sicut te colimus,
Per tuas semitas duc nos, quo tendimus.
Ad lucem, quam inhabitas. Amen.

Antiph. Ego sum panis vivus, qui de caelo descendi: qui manducat ex hoc pane, vivet in aeternum.

℣. Posuit fines tuos pacem.
℟. Et adipe frumenti satiat te.
℣. Domine exaudi orationem meam etc.

Digitized by Google

OREMUS

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuae memoriam reliquisti: tribue quaesumus, ita nos corporis, et sanguinis tui sacra mysteria venerari; ut redemptionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis etc.

AD PRIMAM

℣. Venite, comedite panem.
℟. Bibite vinum quod miscui vobis.
℣. Deus in adjutorium meum etc.

Hymnus

Post agnum typicum, expletis epulis,
Corpus dominicum datum discipulis,
Sic totum omnibus, quod totum singulis,
Ejus fatemur manibus.
Dedit fragilibus corporis ferculum,
Dedit et tristibus sanguinis poculum,
Dicens: accipite, quod trado, vasculum,
Omnes ex eo bibite.
Te trina Deitas unaque etc.

Antiph. Sapientia aedificavit sibi domum: miscuit vinum, et posuit mensam, alleluja.
℣. Posuit fines tuos pacem.
℟. Et adipe frumenti satiat te,
℣. Domine exaudi orationem etc.
Oratio. Deus, qui nobis etc. *ut sup.*

AD TERTIAM

℣. Venite, comedite panem. etc.
℣. Deus in adjutorium meum etc.

Digitized by Google

Hymnus

Sic sacrificium istud instituit,
Cujus officium committi voluit
Solis presbyteris, quibus sic congruit,
Ut sumant, et dent caeteris.
Panis angelicus fit panis hominum.
Dat panis coelicus figuris terminum:
O res mirabilis! manducat Dominum
Pauper, servus, et humilis.
Te trina Deitas unaque etc.

Antiph. Angelorum esca nutrivisti populum tuum: et panem de coelo praestitisti eis, alleluja.

℣. Panem coeli dedit eis.
℟. Panem Angelorum manducavit homo.

Oratio. Deus, qui nobis etc. *ut sup.*

AD SEXTAM

℣. Venite comedite panem meum.
℟. Bibite vinum quod miscui vobis.
℣. Deus in adjutorium meum. etc.

Hymnus

Verbum supernum prodiens,
Nec Patris linquens dexteram,
Ad opus suum exiens,
Venit ad vitae vesperam.
In mortem a discipulo
Suis tradendus aemulis,
Prius in vitae ferculo
Se tradidit discipulis.

Digitized by Google

Uni, trinoque Domino,
Sit sempiterna gloria.
Qui vitam sine termino
Nobis donet in patria. Amen.

Antiph. Vincenti dabo manna absconditum, et nomen novum, alleluja.

℣. Cibavit eos ex adipe frumenti.
℟. Et de petra, melle saturavit eos.
Oratio. Deus, qui nobis etc. *ut sup.*

AD NONAM

℣. Venite comedite panem meum.
℟. Bibite vinum quod miscui vobis.
℣. Deus in adjutorium meum etc.

Hymnus

Se nascens dedit socium,
Convescens in edulium,
Se moriens in pretium.
Se regnans dat in praemium.
O salutaris hostia,
Quae coeli pandis ostium,
Bella premunt hostilia,
Da robur, fer auxilium.
Uni, trinoque Domino etc.

Antiph. Fructum salutiferum gustandum dedit Dominus, mortis suae tempore.

℣. Vincenti dabo manna absconditum.
℟. Et nomen novum.
℣. Domine exaudi etc,
Oratio. Deus, qui nobis etc. *ut sup.*

Digitized by Google

AD VESPERAS

℣. Venite, comedite panem etc.
℣. Deus in adjutorium meum etc.

Hymnus

Pange lingua gloriosi
Corporis mysterium:
Sanguinisque pretiosi,
Quem in mundi pretium
Fructus ventris generosi,
Rex effudit gentium.
Nobis datus, nobis natus,
Ex intacta Virgine,
Et in mundo conversatus,
Sparso verbi semine:
Sui moras incolatus
Miro clausit ordine.
In supremae nocte coenae
Recumbens cum fratribus:
Observata lege plene
Cibis in legalibus.
Cibum turbae duodenae
Se dat suis manibus.
Genitori, genitoque
Laus, et jubilatio,
Salus, honor, virtus quoque,
Sit et benedictio:
Procedenti ab utroque
Compar sit laudatio. Amen.

Antiph. O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria pas-

Digitized by Google

sionis ejus: mens impletur gratia, et futurae gloriae nobis pignus datur, alleluja.

℣. Memoriam fecit mirabilium, suorum, misericors, et miserator Dominus.

℟. Escam dedit timentibus se.

Oratio. Deus, qui nobis etc. *ut sup.*

AD COMPLETORIUM

℣. Venite comedite panem etc.

℣. Converte nos Deus salutaris noster.

℟. Et averte iram tuam a nobis.

℣. Deus in adjutorium meum etc.

Hymnus

Verbum caro panem verum,
Verbo carnem efficit,
Fitque sanguis Christi merum,
Et si sensus deficit,
Ad firmandum cor sincerum
Sola fides sufficit.
Tantum ergo Sacramentum
Veneremur cernui,
Et antiquum documentum
Novo cedat ritui:
Prestet fides supplementum
Sensuum defectui.
Genitori, etc.

Antiph. Cibavit nos Dominus ex adipe frumenti: et de petra melle saturavit nos.

℣. Qui manducat ex hoc pane.

℟. Vivit in aeternum.

℣. Domine exaudi etc. - *Oratio ut sup.*

Digitized by Google

AD S. S. COR JESU

Ave admirabile Cor Jesu; te laudamus, te benedicimus, te glorificamus; tibi gratias agimus; tibi cor nostrum offerimus, donamus, et consecramus; accipe et posside illud totum; purifica, illumina, et sanctifica, ut in ipso vivas et regnes in perpetuum. Amen.

℣. Confiteantur Domino misericordiae ejus.

℟. Et mirabilia ejus filiis hominum.

Oremus

Accepta sit, Domine Jesu, Sacratissimo Cordi tuo, pro compensandis tot ac tantis tibi, præsertim in amoris Sacramento, illatis injuriis, devota cordium nostrorum oblatio; et fac nos divinissimi illius Cordis magis persentire dolorem, imitari virtutes et promereri favores. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Digitized by Google

Hymnus

O Cor amoris victima,
Coeli perenne gaudium,
Mortalium solatium,
Mortalium spes unica.
Tu, Trinitatis gloria,
Jungit tibi se Filius,
In te quiescit Spiritus.
In te Patris sunt gaudia.
Tu sole puro purius,
Verbi Dei sacrarium,
Verbi Dei palatium,
Templumque coelo dignius.
Tu, digna sedes Numine,
Foecunda virtus Flaminis,
Illapsa in alvum Virginis,
Puro creavit sanguine.
Cor dulce, Cor amabile,
Amore nostri saucium,
Amore nostri languidum,
Fac sis mihi placabile.
Vindex reis irascitur
Deus; sed ut te respicit,
Placatus iram abjicit
Et fulmen obliviscitur.

Digitized by Google

Grandi reclusum vulnere
Amor dedit te pervium,
Amor reclusit ostium,
Hortatur et pervadere.
Quos abluisti sanguine,
Venis apertis omnibus,
Nos intimis recessibus,
Semel receptos contine.
Jesu Patris cor unicum,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium. Amen.

℣. Cor Jesu flagrans amore nostri.

℟. Inflamma cor nostrum amore tui.

OREMUS

Fac nos, Domine Jesu, sanctissimi Cordis tui virtutibus indui, et affectibus inflammari; ut et imagini bonitatis tuae conformes, et tuae redemptionis mereamur esse participes.

Illo nos igne, quaesumus Domine, Spiritus Sanctus inflammet quem Dominus noster Jesus Christus e penetrabilibus Cordis sui misit in terram,

Digitized by Google

et voluit vehementer accendi. Qui tecum vivit et regnat, in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, etc.

—

Hymnus

Jesu, dulcis memoria,
Dans vera cordis gaudia:
Sed super mel et omnia
Ejus dulcis praesentia.

Nil canitur suavius,
Nil auditur jucundius,
Nil cogitatur dulcius,
Quam Jesus, Dei Filius.

Jesu, spes poenitentibus,
Quam pius es petentibus!
Quam bonus te quaerentibus!
Sed quid invenientibus!

Nec lingua valet dicere,
Nec littera exprimere,
Expertus potest credere
Quid sit Jesum diligere.

Sis, Jesu, nostrum gaudium,
Qui es futurus praemium:
Sit nostra in Te gloria,
Per cuncta semper saecula. Amen.

Digitized by Google

℣. Sicut lactantium omnium habitatio est in te.

℟. Quia melior est dies una in atriis tuis super millia.

Oremus

Concede quaesumus, omnipotens Deus, ut qui in sanctissimo dilecti Filii tui Corde gloriantes, praecipua in nos caritatis ejus beneficia recolimus; eorum pariter et actu delectemur et fructu. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

* Laudatum, adoratum, amatum, cum grati animi affectu sit Eucharisticum Cor Jesu, singulis temporis momentis, in omnibus orbis tabernaculis, usque ad consummationem saeculorum. Amen.

Cor Jesu! quam bonum et quam jucundum habitare in Te! Quis separabit cor meum ab amore Tui!

* Dulcissime Cor Jesu, fac ut te semper plus amem.

Digitized by Google

OFFICIOLUM S. S. CORDIS JESU

AD MATUTINUM

℣. Cor Jesu flagrans amore mei.
℟. Inflamma cor meum amore tui.
℣. Domine labia mea aperies.
℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.
℣. Deus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
℣. Gloria Patri etc.

Hymnus

Quicumque certum quaeritis
Rebus levamen asperis,
Seu culpa mordet anxia,
Seu poena vos premit comes,
Jesu, qui, ut agnus innocens,
Sese immolandum tradidit,
Ad Cor reclusum vulnere
Ad mite Cor accedite.
Auditis ut suavissimis
Invitet omnes vocibus
Venite quos gravat labor,
Premisque pondus criminum.

Antiph. Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis: ego reficiam vos.
℣. Paratum cor meum, Deus cordis mei.
℟. Ut faciam juxta beneplacitum Cordis tui.

Digitized by Google

℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS

Respice, quaesumus, misericordissime Deus, in Cor Jesu dilectissimi Filii tui, in quo tibi bene complacuisti, et tanto ejus amore cor nostrum accende, ut divini Jesu Cordis affectibus incensi, novo jam corde nihil aliud desideremus et amemus quam Te, Deum cordis nostri, qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

AD PRIMAM

℣. Cor Jesu flagrans etc.
℣. Deus in adjutorium etc.
Gloria Patri etc,

Hymnus

O Cor Jesu adorandum,
Sacro thure venerandum
Flexis dignum genibus!
Cultus tuus fac vulgetur,
Nomen et sanctificetur
Cunctis terrae finibus.

Antiph. Sancti et humilis corde benedicite Domino; suavis est enim Dominus et in aeternum misericordia ejus.
℣. Paratum cor meum etc.
℣. Domine exaudi etc.
Oratio. Respice *ut sup.*

Digitized by Google

AD TERTIAM

℣. Cor Jesu flagrans etc.
℣. Deus in adjutorium etc.

Hymnus

O Cor Jesu voluptate
Plenum et amoenitate,
Princeps coeli jubilus,
Adveniat, ut precamur,
Regnum tuum, quo fruamur,
Aeviternis plausibus.

Antiph. Propter veritatem, et mansuetudinem et justitiam, intende, prospere procede, et regna.

℣. Paratum cor meum etc. *cum oratione ut supra.*

AD SEXTAM

℣. Cor Jesu flagrans etc.
℣. Deus in adjutorium etc.

Hymnus

O Cor Jesu, cujus velle
Jugum leve; plusquam melle
Est mandatum dulcius.
Fiat semper ut in coelis
Sic in terra tu quod velis,
Nil hoc fiet melius.

Antiph. Beneplacitum est Domino in populo suo, et exaltabit mansuetos in salutem.

℣. Paratum cor meum etc. *ut sup.*

Digitized by Google

AD NONAM

℣. Cor Jesu flagrans amore etc.
℣. Deus in adjutorium etc.

Hymnus

O Cor Jesu animorum
Quin et corporis languorum
Penus refertissima!
Panem da quotidianum,
Mens corpusque ne in vanum
Mundi quærant pabula.

Antiph. Sitivit in te anima mea, et pavisti me in innocentia Cordis tui.

℣. Paratum cor meum etc. *cum oratione ut supra.*

AD VESPERAS

℣. Cor Jesu flagrans etc.
℣. Deus in adjutorium etc.

Hymnus

O Cor Jesu salutare,
Nec accessum quod negare
Soles peccatoribus;
Nobis debita Cor mite
Ita, quaesumus, dimitte
Sicut nos dimittimus.
O Cor Jesu cynosura
Nobis tutos per obscura
Coeli monstrans aditus:
Ne in fletuum hoc mare
Plus permitte nos tentari
Ferre quam sufficimus.

Digitized by Google

Antiph — Per viscera misericodiae suae visitavit nos: ideo a negotio perambulante in tenebris, ab incursu et daemonio meridiano non timebit cor nostrum.

℣. Paratum cor meum etc. *cum oratione ut supra.*

AD COMPLETORIUM

℣. Cor Jesu flagrans etc.
℣. Converte nos Deus salutaris noster.
℟. Et averte iram tuam a nobis.
℣. Deus in adjutorium meum etc.
Gloria Patri etc.

Hymnus

O Cor Jesu quod cunctorum
Bona contines bonorum
Nos a malo libera
Corpus spectet sive mentem,
Fac sequatur hanc praesentem
Vita tandem coelica.

Antiph. Dominus dabit benignitatem, et suscipiet nos in sinum et Cor suum recordatus misericordiae suae. Alleluja.

℣. Paratum cor meum etc. *cum oratione ut supra.*

Digitized by Google

AD JESUM CRUCIFIXUM

VERSUS DE PASSIONE D. N. J. C.

Amici mei, et proximi mei: adversum me appropinquaverunt, et steterunt.

Traditus sum, et non egrediebar: oculi mei languerunt prae inopia.

Et factus est sudor meus: sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.

Circumdederunt me canes multi; concilium malignantium obsedit me.

Corpus meum dedi percutientibus: et genas meas vellentibus.

Faciem meam non averti: ab increpantibus, et conspuentibus in me,

Quoniam ego in flagella paratus sum: et dolor meus in conspectu meo semper.

Milites plectentes coronam de spinis: imposuerunt super caput meum.

Foderunt manus meas, et pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea.

Digitized by Google

Et dederunt in escam meam fel: et in siti mea potaverunt me aceto.

Omnes videntes me deriserunt me: locuti sunt labiis, et moverunt caput.

Ipsi vero consideraverunt, et inspexerunt me, diviserunt sibi vestimenta mea: et super vestem meam miserunt sortem.

In manus tuas commendo spiritum meum: redemisti me Domine Deus veritatis.

Misericordias Domini in æternum cantabo.

Vere languores nostros ipse tulit: et dolores nostros ipse portavit.

Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras: attritus est propter scelera nostra.

Omnes nos quasi oves erravimus: unusquisque in viam suam declinavit.

Et posuit in eo Dominus iniquitates omnium nostrum.

Exurge, quare obdormis Domine? exurge, et ne repellas in finem.

Digitized by Google

℣. Miserere nostri, Jesu benigne.

℟. Qui passus es clementer pro nobis.

* *Oratio*

Obsecro te, dulcissime Domine Jesu Christe, ut passio tua sit mihi virtus, qua muniar, protegar, atque defendar: vulnera tua sint mihi cibus potusque, quibus pascar, inebrier atque delecter: aspersio sanguinis tui sit mihi ablutio omnium delictorum meorum: mors tua sit mihi gloria sempiterna. In his sit mihi refectio, exultatio, sanitas et dulcedo cordis mei. Quis vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

*O clementissime Jesu, salus, vita, resurrectio nostra tu solus es. Te ergo quaesumus ne derelinquas nos in angustiis et perturbationibus nostris, sed per agoniam Cordis tui sanctissimi, et per dolores Matris tuae Immaculatae, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.

Digitized by Google

*Planctus B. M. V.

Stabat Mater dolorosa
Juxta Crucem lacrymosa,
Dum pendebat Filius.
Cuius animam gementem
Contristatam et dolentem
Pertransivit gladius.
O quam tristis et afflicta
Fuit illa benedicta
Mater Unigeniti!
Quae moerebat et dolebat,
Pia Mater, dum videbat
Nati poenas Incliti.
Quis est homo, qui non fleret
Matrem Christi si videret
In tanto supplicio?
Quis non posset contristari
Christi Matrem contemplari
Dolentem cum Filio?
Pro peccatis suae gentis
Vidit Jesum in tormentis
Et flagellis subditum.
Vidit suum dulcem Natum
Moriendo desolatum,
Dum emisit Spiritum.

Digitized by Google

Eia, Mater, fons amoris,
Me sentire vim doloris
Fac, ut tecum lugeam.
Fac ut ardeat cor meum
In amando Christum Deum;
Ut sibi complaceam.
Sancta Mater, istud agas,
Crucifixi fige plagas
Cordi meo valide.
Tui nati vulnerati,
Tam dignati pro me pati,
Poenas mecum divide.
Fac me tecum pie flere,
Crucixo condolere,
Donec ego vixero.
Iuxta Coucem tecum stare,
Et me tibi sociare
In planctu desidero.
Virgo virginum praeclara
Mihi iam non sis amara,
Fac me tecum plangere.
Fac, ut portem Christi mortem,
Passionis fac consortem,
Et plagas recolere.

Digitized by Google

Fac me plagis vulnerari,
Fac me Cruce inebriari.
Et Cruore Filii.
Flammis ne urar succensus,
Per Te, Virgo, sim defensus
In die iudicii.
Christe, cum sit hinc exire,
Da per Matrem me venire
Ad palmam victoriae.
Quando corpus morietur,
Fac, ut animae donetur
Paradisi gloria. Amen.

℣. Ora pro nobis, Virgo dolorosissima.

℟. Ut digni efficiamur etc.

OREMUS

Interveniat pro nobis, quaesumus Domine Jesu Christe, nunc et in hora mortis nostrae apud tuam clementiam Beata Virgo Maria Mater tua, cujus sacratissimam animam in hora tuae Passionis doloris gladius pertransivit. Per Te, Jesu Christe, Salvator mundi, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas etc.

Digitized by Google

OFFICIOLUM S. CRUCIS

AD MATUTINUM

℣. Per signum Crucis de inimicis nostris.
℟. Libera nos Deus noster.
℣. Domine labia mea aperies.
℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.
℣. Deus in adjutorium m.um intende.
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri, et Filio, et Spiritui etc.

Hymnus

Salve Crux sancta, salve mundi gloria.
Vera spes nostra, vera ferens gaudia,
Signum salutis, salus in periculis:
Vitale lignum, vitam ferens omnium.
Sit Deo Patri laus in Cruce Filii,
Sit coæqualis laus sancto Spiritui:
Civibus summi gaudium sit Angelis,
Honor sit mundo, Crucis exaltatio.
Amen.

℟. Per tuam Crucem, salva nos, Christe redemptor, qui mortem nostram moriendo destruxisti: et vitam resurgendo reparasti. Alleluja.

℣. Miserere nostri Jesu benigne, qui passus es clementer pro nobis. Et vitam.
Gloria Patri. Alleluja.
℣. Dicite in nationibus.
℟. Quia Dominus regnavit a ligno.

Digitized by Google

OREMUS

Deus, qui Unigeniti Filii tui pretioso sanguine, vivificae Crucis vexillum sanctificari voluisti: concede quaesumus, eos, qui ejusdem sanctæ Crucis gaudent honore, tua quoque ubique protectione gaudere. Per eumdem Christum etc.

AD PRIMAM

℣. Per signum Crucis etc. *ut supra.*
℣. Deus in adjutorium meum intende.
℟. Domine etc. Gloria Patri etc.

Hymnus

Te adorandam, te Crucem vivificam,
Per te redempti, dulce decus saeculi:
Semper laudamus, semper tibi canimus.
Per lignum fervi, per te sumus liberi.
Sit Deo Patri laus in Cruce Filii etc.

℟. Mane autem facto, consilium inierunt omnes principes sacerdotum, et seniores populi adversus Jesum: ut eum morti traderent.

℣. Astiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum, adversus Dominum et adversus Christum ejus. Ut eum morti traderent.

℣. Dicite in nationibus.
℟. Quia Dominus regnavit a ligno.
Oratio. Deus, qui Unigeniti etc. *ut sup.*

Digitized by Google

AD TERTIAM

℣. Per signum Crucis etc.
℣. Deus in adjutorium meum intende.
℟. Domine etc. - Gloria Patri etc.

Hymnus

Crux fidelis inter omnes,
Arbor una nobilis:
Nulla ſylva talem profert,
Fronde, flore, germine,
Dulce lignum, dulces clavos,
Dulce pondus sustinet.
Sempiterne sit beatæ
Trinitati gloria:
Aequa Patri, Filioque,
Par decus Paraclito:
Unius Trinique nomen
Laudet universitas.

℟. Erat autem hora tertia, et crucifixerunt eum, et cum eo duo latrones: unum a dexteris, et alium a sinistris.

℣. Tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est. Unum.

℣. Dicite in nationibus.
℟. Quia Dominus regnavit a ligno.
Oratio. Deus, qui Unigeniti etc. *ut sup.*

AD SEXTAM

℣. Per signum Crucis etc.
℣. Deus in adjutorium meum etc.
℣. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui etc.

Digitized by Google

Hymnus

Flecte ramos arbor alta,
Tensa laxa viscera,
Et rigor lentescat ille,
Quem dedit nativitas:
Et superni membra Regis
Tende miti stipite.
Sempiterna sit etc.

℟. Erat autem fere hora sexta, et tenebrae factae sunt super universam terram usque in horam nonam; et obscuratus est sol: et velum templi scissum est medium.
℣. Et clamans voce magna Jesus, ait: Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Et haec dicens expiravit. Et velum.
℣. Dicite in nationibus.
℟. Quia Dominus regnavit a ligno.
Oratio. Deus, qui Unigeniti etc. *ut sup.*

AD NONAM

℣. Per signum Crucis etc.
℣. Deus in adjutorium meum intende.
℟. Domine etc. Gloria Patri etc.

Hymnus

Vexilla regis prodeunt,
Fulget Crucis mysterium,
Qua vita mortem pertulit
Et morte vitam protulit.

Digitized by Google

Quae vulnerata lanceae
Mucrone diro criminum
Ut nos lavaret sordibus,
Manavit unda et sanguine.
Te fons salutis Trinitas,
Collaudet omnis spiritus:
Quibus Crucis victoriam
Largiris, adde praemium. Amen.

℟. Tenebrae factæ sunt, dum crucifixissent Jesum Judæi: et circa horam nonam exclamavit Jesus voce magna: Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti? Et inclinato capite emisit spiritum.

℣. Cum ergo accepisset acetum, dixit: consummatum est. Et inclinato capite.

℣. Dicite in nationibus.

℟. Quia Dominus regnavit a ligno.

Oratio Deus, qui Unigeniti etc. *ut sup.*

AD VESPERAS

℣. Per signum Crucis.

℣. Deus in adjutorium meum intende.

℟. Domine etc. Gloria Patri etc.

Hymnus

Arbor decora, et fulgida,
Ornata regis purpura,
Electa digno stipite,
Tam sancta membra tangere.
Beata cujus brachiis
Pretium pependit saeculi:

Digitized by Google

Statera facta corporis,
Tulitque prædam tartari.
O Crux, ave, spes unica,
Hoc passionis tempore.
Piis adauge gratiam,
Reisque dele crimina.
Te, fons salutis etc.

℟. Sicut ovis ad occisionem ductus est, et dum male tractaretur, non aperuit os suum, traditus est ad mortem: ut vivificaret populum suum.

℣. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Ut vivificaret.

℣. Dicite in nationibus.

℟. Quia Dominus regnavit a ligno.

Oratio. Deus, qui Unigeniti etc. *ut sup.*

AD COMPLETORIUM

℣. Per signum Crucis etc.

℣. Converte nos Deus salutaris noster.

℟. Et averte iram tuam a nobis.

℣. Deus in adjutorium meum intende.

℟. Domine etc. Gloria Patri etc.

Hymnus

Originale crimen necans in Cruce
Nos a privatis Christe munda maculis:
Humanitatem miseratus fragilem,
Per Crucem sanctam lapsis dona veniam.

Digitized by Google

Protege, salva, benedic, sanctifica
Populum cunctum Crucis per signaculum,
Morbos averte corporis et animæ:
Hoc contra signum nullum stet periculum.
Amen.

℟. Caligaverunt oculi mei a fletu meo: quia elongatus est a me, qui consolabatur me; videte omnes populi mei: si est dolor similis, sicut dolor meus.

℣. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, et videte. Si est dolor meus similis.

℣. Dicite in nationibus.

℟. Quia Dominus regnavit a ligno.

Oratio. Deus, qui Unigeniti etc. *ut sup.*

Invocatio S. Thomae

Crux mihi certa salus.
Crux est quam semper adoro.
Crux Domini mecum
Crux mihi refugium.

---

*Aeterne Pater offero tibi pretiosissimum sanguinem Jesu Christi in satisfactionem pro peccatis meis et pro necessitatibus sanctae Ecclesiae.

Digitized by Google

AD B. MARIAM VIRGINEM

Ave Augustissima Regina Pacis, Sanctissima Mater Dei, per Sacratissimum Cor Jesu Filii tui, Principis Pacis, fac, ut quiescat ira ipsius, et regnet super nos in pace.

*Memorare, o piissima Virgo Maria, non esse auditum a sæculo quemquam ad tua currentem praesidia, tua implorantem auxilia, tua petentem suffragia, esse derelictum. Ego tali animatus confidentia, ad Te, Virgo Virginum Mater, curro; ad Te venio; coram Te gemens peccator assisto; noli, Mater Verbi, verba mea despicere, sed audi propitia et exaudi. Amen.

Salve Regina, Mater misericordiae, vita, dulcedo et spes nostra salve. Ad Te clamamus exules filii Evae, ad Te suspiramus gementes et flentes in hac lacryma-

Digitized by Google

rum valle. Eja ergo, Advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte. Et Jesum benedictum Fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende, o clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria.

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

℣. Benedictus Deus in Sanctis tuis.

℟. Amen.

Sub tuum praesidium *(pag. 8)*.

℣. Dignare etc. ℣. Benedictus etc.

—

O Domina mea! O Mater mea! Tibi me totum offero, atque ut me Tibi probem devotum, consecro Tibi hodie oculos meos, aures meas, os meum, cor meum, plane me totum. Quoniam itaque tuus sum, o bona Mater serva me, defende me, ut rem ac possessionem tuam.

O Domina mea! O Mater mea! memento me esse tuum.

Digitized by Google

Inviolata, integra et casta es Maria. Quae es effecta fulgida coeli porta. O Mater alma Christi charissima! Suscipe pia laudum praeconia. Nostra ut pura pectora sint et corpora. Te nunc flagitant devota corda et ora. Tua per precata dulcisona. Nobis impetres veniam per saecula. O benigna! O Regina! O Maria! Quae sola inviolata permansisti.

℣. Benedicta tu inter mulieres.

℟. Et benedictus fructus ventris tui.

OREMUS

Cordibus nostris, quaesumus, Domine, gratiam tuam benignus infunde; et intercedente sanctissima Dei Genitrice Maria, corpora nostra castitate, et mentes nostras humanitate et charitate sanctifica. Per eumdem Christum.

*Per sanctam Virginitatem et immaculatam Conceptionem tuam, purissima Virgo Maria, emunda cor meum et carnem meam. Amen.

Digitized by Google

Oblatio suî ad B. V.

Sancta Maria, Mater Dei et Virgo Immaculata, ego licet indignus qui serviam tibi, attamen de materni Cordis tui clementia confisus, eligo te hodie coram Angelo meo custode, et tota coelesti Curia, in meam Matrem et peculiarem Dominam, Patronam et Advocatam; firmiterque propono me deinceps tibi et Filio tuo servire velle fideliter, et adhaerere perenniter.

Obsecro te, Mater sacratissima, per amorem quo Filius tuus, jam moriturus in cruce, semetipsum Patri suo, te vero Discipulo suo, et hunc vicissim tibi commendavit, ut me suscipias in curam et tutelam tuam, et adsis mihi in omnibus periculis et angustiis totius vitae meae; sed praecipue in hora mortis. Amen.

Digitized by Google

*OFFICIOLUM IMM. CONCEPTIONIS B. M. V.

AD MATUTINUM

℣. Eja, mea labia, nunc annuntiate
℟. Laudes, et praeconia Virginis beatae.
℣. Domina, in adjutorium meum intende;
℟. Me de manu hostium potenter defende.
Gloria Patri, etc. Alleluia. *A Septuagesima usque ad Pascha loco* Alleluia *dicitur* Laus tibi Domine, Rex aeternae gloriae.

Hymnus

Salve mundi Domina,
Coelorum Regina:
Salve Virgo Virginum,
Stella matutina.
Salve plena gratia,
Clara luce divina:
Mundi in auxilium
Domina festina.
Ab aeterno Dominus
Te praeordinavit
Matrem Unigeniti
Verbi, quo creavit
Terram, pontum, aethera:
Te pulchram ornavit
Sibi sponsam, quae
In Adam non peccavit. Amen.
℣. Elegit eam Deus et praeelegit eam.
℟. In tabernaculo suo habitare facit eam.

Digitized by Google

℣. Domina protege orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS

Sancta Maria, Regina coelorum, mater Domini nostri Jesu Christi, et mundi Domina, quae nullum derelinquis et nullum despicis; respice me, Domina, clementer oculo pietatis, et impetra mihi apud tuum dilectum Filium cunctorum veniam peccatorum: ut qui nunc tuam sanctam et immaculatam Conceptionem devoto affectu recolo, aeternae in futurum beatitudinis bravium capiam, ipso, quem Virgo peperisti, donante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat, in unitate perfecta, Deus in saecula saeculorum. Amen.

℣. Domina protege orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Benedicamus Domino.
℟. Deo gratias.
℣. Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace.
℟. Amen.

AD PRIMAM

℣. Domina in adjutorium meum intende.
℟. Me de manu hostium potenter defende; Gloria Patri etc.

Digitized by Google

Hymnus

Salva Virgo Sapiens,
Domus Deo dicata:
Columna septemplici
Mensaque exornata.
Ab omni contagio
Mundi praeservata
Ante sancta in utero
Parentis, quam nata.
Tu mater viventium,
Et porta es Sanctorum:
Nova stella Jacob,
Domina Angelorum.
Zabulo terribilis.
Acies Castrorum:
Porta et refugium
Sis Christianorum. Amen.

℣. Ipse creavit illam in Spiritu Sancto.
℟. Et effudit illam super omnia opera sua.
℣. Domina protege, etc. *cum Oratione ut supra.*

AD TERTIAM

℣. Domina in adjutorium, meum etc.

Hymnus

Salve arca foederis,
Thronus Salomonis:
Arcus pulcher aetheris,
Rubus visionis;

Digitized by Google

Virga frondes germinis,
Vellus Gedeonis;
Porta clausa numinis,
Favusque Sampsonis.
Decebat tam nobilem
Natam praecavere
Ab originali
Labe matris Evae:
Almam, quam elegerat
Genitricem vere:
Nulli prorsus sinens
Culpae subjacere. Amen.

℣. Ego in altissimis habito.
℟. Et thronus meus in columna nobis.
℣. Domina protege, etc. *cum Orat. ut sup.*

AD SEXTAM

℣. Domina in adjutorium, meum etc.

Hymnus

Salve, Virgo puerpera,
Templum Trinitatis:
Angelorum gaudium,
Cella puritatis:
Solamen moerentium
Hortus voluptatis:
Palma patientiae,
Cedrus castitatis.
Terra es benedicta,
Et sacerdotalis,
Sancta et immunis
Culpae originalis.

Digitized by Google

Civitas Altissimi,
Porta orientalis,
In te est omnis Gratia,
Virgo singularis. Amen.

℣. Sicut lilium inter spinas,
℟. Sic amica mea inter filias Adae.
℣. Domina protege, etc *cum Oratione ut supra.*

AD NONAM

℣. Domina in adjutorium, etc.

Hymnus

Salve urbs refugii,
Turrisque munita
David propugnaculis,
Armisque insignita.
In Conceptione
Charitate ignita,
Draconis potestas
Est a te contrita.
O mulier fortis,
Et invicta Judith
Pulchra Abisag virgo,
Verum fovens David!
Rachel curatorem
Aegypti gestavit:
Salvatorem Mundi
Maria portavit. Amen.

℣. Tota pulchra es, Amica mea.
℟. Et macula originalis nunquam fuit in te.
℣. Domina protege, etc. *cum Orat. ut sup.*

Digitized by Google

AD VESPERAS

℣. Domina in adjutorium meum etc.

Hymnus

Salve horologium,
Quo retrograditur
Sol in decem lineis,
Verbum incarnatur.
Homo ut ab inferis
Ad summa attollatur,
Immensus ab Angelis
Paulo minoratur.
Solis hujus radiis
Maria coruscat;
Consurgens aurora
In conceptu micat.
Lilium inter spinas,
Quae serpentis conterat
Caput, pulchra ut luna
Errantes collustrat, Amen.

℣. Ego feci in coelis ut oriatur lumen indeficiens.

℟. Et quasi nebula texi omnem terram.

℣. Domina protege, etc. *cum Orat. ut sup.*

AD COMPLETORIUM

℣. Convertat nos, Domina, tuis precibus placatus Jesus Christus Filius tuus.

℟. Et avertat iram suam a nobis.

℣. Domina in adjutorium meum etc.

Digitized by Google

Hymnus

Salve Virgo florens
Mater illibata,
Regina clementiae,
Stellis coronata;
Supra omnes Angelos
Pura, immaculata,
Atque ad Regis dextram
Stans veste deaurata.
Per te Mater gratiae
Dulcis spes reorum,
Fulgens stella maris
Portus naufragorum.
Patens coeli janua,
Salus infirmorum:
Videamus Regem
In aula Sanctorum. Amen.

℣. Oleum effusum, Maria, nomen tuum.
℟. Servi tui dilexerunt te nimis.
℣. Domina protege etc. *cum. Oratione ut supra.*

Supplices offerimus
Tibi, Virgo pia,
Haec laudum praeconia:
Fac nos ut in via
Ducas cursu prospero,
Et in agonia
Tu nobis assiste,
O dulcis Maria. Amen.

℟. Deo gratias.

Digitized by Google

AD SS. COR MARIAE

Loquar ad Cor tuum sanctissimum, o Maria; loquar ad Cor tuum mundum, mundi Domina; ad Cor tuum immaculatum, quod primum sub sole fuit dignum suscipere egredientem de sinu Patris Dei Unigenitum. Salve Cor virgineum sanctae Trinitatis receptaculum; urna aurea manna coelesti plena; arca sanctificationis scripturam digiti Dei continens. Sit in aeternum benedictum, o Maria, Cor illud tuum nobilissimum, singulare sanctuarium, quod dedicavit sibi Deus in Spiritu Sancto; quod dedicavit summus Pontifex coelorum mirabili et ineffabili introitu suo; in quo sacra conferens nostrae redemptionis mysteria diligenter et fidelissime conservasti. Tibi laus, tibi amor, o Cor amantissimum: tibi honor, tibi gloria ab omni creatura in saecula saeculorum.

Amen.

Digitized by Google

Sequentia

Laetabunda Canant pie Cuncta corda Cor Mariae.

Cor amandum Omni corde: Cor laudandum Omni mente.

Cor aeterni numinis En factum est Virginis Cor aeternum.

Haec est Virgo sapiens, Haec est Virgo rapiens Cor divinum.

Consors patris dexterae Fit matris Deiparae Cor et natus.

Flos Cordis Altissimi, Flos Cordis virginei, Flos et fructus.

Cordis nostri gaudium, Exilii solatium, Cor Mariae.

Amoris oraculum, Vexillum, signaculum, Liber vitae.

Caritatis speculum, Thesaurus charismatum, Thronus Christi.

Rubes ignem proferens, Incumbustus permanens, Fornax coeli.

O fornax mirifica! In te manent socia Ros et Flamma.

Ros mire vivificans, Flamma beatificans Corda pura.

Digitized by Google

Infundatur omnibus Ros ille pectoribus: Accendatur cordibus flamma sacra.

O Jesu, Cor Mariae! Ros, ignis, fons gratiae, Ure, purga, posside corda cuncta.

O amor, propera, Ubique impera, In terris, ut super sidera: Nova præcordia, Nova fac omnia: Vt Jesum laudent cum Maria. Amen.

Antiph. Benedictum sanctissimum Cor tuum, in quo inscripta sunt electorum nomina, et in quo, o Maria! fac ut meum quoque penitus inscribatur.

℣. O pretiosissimum Cor Mariae, vita cordis nostri!

℟. Posside cor nostrum in aeternum.

OREMUS

Domine Jesu, qui singulari beneficio hominum curam sumere dignatus es, Cor plenum amoris pro illorum salute sanctissimae Matris tuæ impertiendo, cor plenum venerationis

Digitized by Google

et amoris, vel potius Cor tuum et Cor Mariae nobis impertire, ut in aeternum illam cum tuo Corde, et te cum Corde sacratissimae Matris tuæ diligere possimus, quis vivis.

Sancta Maria, Mater Domini Nosri Jesu Christi et mundi Domina, quae nullum derelinquis et nullum despicis, respice me, Domina, clementer oculo pietatis, et impetra mihi apud tuum dilectum Filium cunctorum veniam peccatorum, ut qui nunc sancti et immaculati Cordis tui laudes et merita devoto affectu recolo, aeternae beatitudinis bravium capiam, ipso quem Virgo peperisti, donante Domino Nostro Jesu Christo, qui vivit et regnat.

Cor Mariae, Cordi Jesu simillimum, fac cor meum secundum Cor Jesu.

Cor Mariae, amore Jesu ardentissimum, amore illo, quo ardes, incende cor meum.

Digitized by Google

OFFICIOLUM PURISSIMI CORDIS MARIAE

AD MATUTINUM

℣. Cor Mariae flagrans amore mei.
℟. Inflamma cor meum amore tui.
℣. Domine labia mea aperies.
℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.
℣. Deus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri etc.

Hymnus

Jesu, Mariae gloria,
Miranda Cordis Virginis
Cor inchoat praeconia:
Nostri adesto canticis.
Quid Corde Matris Virginis
Cani potest suavius?
Quid Corde Matris nominis
Cani potest augustius?
Per Cor Matris purissimum,
Templum Dei dignissimum,
Jesu Tibi sit gloria
In sempiterna saecula. Amen.

Antiph. Ego Mater pulchrae dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctae spei. In me gratia omnis viae et veritatis, in me omnis spes vitae et veritatis, in me omnis spes vitae, et virtutis.

Digitized by Google

℣. Benedictum sit in aeternum Christi Cor sanctissimum.

℟. Et laudabile Cor etiam Mariae.

OREMUS

Clementissime Deus, qui ad miserorum omnium salutem et totius mundi refugium immaculatum et sanctissimum Cor Mariae divinissimo Cordi Filii sui caritate et misericordia simillimum esse voluisti: concede, ut, qui suavissimi hujus et vere materni Cordis memoriam agimus, ejus intercessione et meritis secundum Cor tuum inveniri mereamur, Per eumdem Christum.

AD LAUDES

℣. Cor Mariae flagrans amori mei.

℟. Inflamma cor meum amore tui.

℣. Deus in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri etc.

Hymnus

Quam sancta Matris viscera!
Quam sancta sunt et ubera!
Regale sed Cor omnibus
Miraculis praestantius.

Ave Cor admirabile,
Thesaurus orbis, omnia
Collata nobis coelitus
Servans Dei mysteria.

Per Cor Matris etc.

Antiph. ℣. ℟. Oratio *ut supra.*

Digitized by Google

AD PRIMAM

℣. Cor Mariae flagrans etc.
℣. Deus in adjutorium meum etc.

Hymnus

Cor labis expers patriae,
Cor labis expers propriae,
Fons puritatis integrae,
Omnisque sedes gratiae!
Te candidata lilia,
Nardus rosaeque fulciunt:
Te mala coeli dulcia,
Amore languens, ambiunt.
Per Cor Matris etc.

Antiph. ℣. ℟. Oratio *ut supra.*

AD TERTIAM

℣. Cor Mariae flagrans etc.
℣. Deus in adjutorium meum etc,

Hymnus

Cor aula Regum Principis,
Dignum Dei sacrarium,
Arca superna foederis,
Altare pacis aureum!
Tu fons perennis gratiae,
Spes et salus clientibus:
Tu sinus indulgentiae,
Portusque naufragantibus.
Per Cor Matris purissimum ete.

Antiph. ℣. ℟. Oratio *ut supra.*

Digitized by Google

AD SEXTAM

℣. Cor Mariae flagrans etc.
℣. Deus in adjutorium meum etc.

Hymnus

Cor melle dulci dulcius,
Coeleste manna proferens,
Cor sole puro purius,
Incomprehensa continens!
Tu sanctitatis formula,
Vitae Dei compendium,
Cordis fidelis regula,
Jesu cubile floridum.
Per Cor Matris etc.

Antiph. ℣. ℟. Oratio *ut supra.*

AD NONAM

℣. Cor Mariae flagrans etc·
℣. Deus in adjutorium meum etc.

Hymnus

Cor Matris ardentissimum,
Jucunda spes mortalium,
Pars nostra, vita, gaudium,
Dulcedo, lux, solatium!
Sidus micans amantium
Sol esto, duxque mentium.
Fornax amoris, omnium
Accende flammas cordium.
Per Cor Matris etc.

Antiph. ℣. ℟. Oratio *ut supra.*

Digitized by Google

AD VESPERAS

℣. Cor Mariae flagrans etc.
℣. Deus in adjutorium meum etc.

Hymnus

Cor Matris ad Cor Filii
Amoris ardens impetu
Non desinente anhelitu
Suspirat oblitum sui.
Utrumque amoris vinculum
Conjungit arctis nexibus:
Hoc ardet hujus ignibus,
Ignemque reddit aemulum.
Per Cor Matris etc.

Antiph. ℣. ℟. Oratio *ut supra.*

AD COMPLETORIUM

℣. Cor Mariae flagrans etc.
℣. Converte nos Deus salutaris noster.
℟. Et averte iram tuam a nobis.
℣. Deus in adjutorium etc.

Hymnus

Dei parentis optimae
Cor! o precamur, impetres,
Quo tu flagrasti maxime,
Nostris amorem cordibus.
Hoc sontis Evae filios
Nunc Virgo Corde protege:
Hoc et tuos jam filios
Mortis sub horam suscipe.
Per Cor Matris etc.

Antiph. ℣. ℟. Oratio *ut supra.*

Digitized by Google

AD B. JOSEPH

SPONSUM BEATAE MARIAE VIRG.

Salve, Pater Salvatoris, Joseph ter amabilis! Salve, custos Redemptoris, Joseph ter mirabilis!

Dulces cunae, dulces panni, Dum fovisti puerum! Dulces dies, dulces anni, Dum nutristi Dominum!

Jesum oculis vidisti, Suavis felicitas! Oscula dans accepisti, O felix suavitas!

Modo Deum appellabas Inter mille gaudia, Modo natum nominabas Inter mille basia.

Jesum brachiis tenere, O quantae deliciae! Jesum tutum possidere, O quantae divitiae!

O mi Joseph venerande, Pro tantis muneribus, Et prae cunctis honorande Cui se subdit Deus!

Tibi tanta sors est data, O flos pudicitiae! Quanta nulli est collata Ab Auctore gratiae.

Digitized by Google

O felicem et beatum Tuo sub praesidio Custodiri cui est datum, Tuo patrocinio!

Qui Herodi subtraxisti, Non timens exilium, Et a caede custodisti Jesum Dei Filium,

Ita peste saeviente Tende nobis brachium. Sentiamus, te petente, Numinis auxilium.

Per Mariae, tuae Matris, Preces atque viscera, Per Josephi, tui Patris Curas et obsequia,

Fac possimus Te videre, Te, Regem in gloria, Et aeternum possidere In coelesti patria!

**Responsorium*

Quicumque sanus vivere,
Cursumque vitae claudere
In fine laetus expetit,
Opem Josephi postulet.
Hic Sponsus almae Virginis,
Paterque Jesu creditus,
Justus, fidelis, integer,
Quod poscit, orans impetrat.
Quicumque etc.

Digitized by Google

Foeno jacentem Parvulum
Adorat, et post exulem
Solatur; inde perditum
Quaerit dolens, et invenit.
Quicumque etc.

Mundi Supremus Artifex
Ejus labore pascitur,
Summi Parentis Filius
Obedit illi subditus.
Quicumque etc.

Adesse morti proximus
Cum Matre Jesum conspicit,
Et inter ipsos jubilans
Dulci sapore solvitur.
Quicumque etc.

Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto. Quicumque etc.

Antiph. Ecce fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.

℣. Ora pro nobis Beate Joseph.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Digitized by Google

Oremus

Deus, qui ineffabili providentia Beatum Joseph Sanctissimae Genitricis tuae Sponsum eligere dignatus es: praesta quaesumus; ut quem Protectorem veneramur in terris, intercessorem habere mereamur in coelis. Qui vivis et regnas etc.

—

Antiph. Adjutor est in tribulationibus, et Protector omnibus Beatus Joseph nomen suum pie invocantibus.

℣. Sit nomen Beati Josephi benedictum.

℟. Ex hoc nunc, et usque in sæculum.

Deus, qui mirabilis in Sanctis tuis, mirabilior in Beato Josepho, Eum coelestium donorum dispensatorem super familiam tuam constituisti: praesta quaesumus; ut cujus Nomen devoti veneramur, ejus precibus et meritis adjuti ad portum salutis feliciter perveniamus. Per Christum.

Digitized by Google

*Virginum Custos et Pater Sancte Joseph, cujus fideli custodiae ipsa Innocentia Christus Jesus, et Virgo virginum Maria commissa fuit, Te per hoc utrumque carissimum pignus Jesum et Mariam obsecro et obtestor, ut me ab omni immunditia praeservatum, mente incontaminata, puro corde et casto corpore Jesu et Mariae semper facias castissime famulari. Amen.

—

*Memorare, o purissime Sponse Mariae, semper Virgo, o amabilis Protector noster, sancte Joseph, non esse auditum a saeculo quemquam tua petentem suffragia, tua implorantem auxilia esse sine solatio derelictum. Ego tali animatus confidentia, ad Te venio et cum omni animae ardore, me Tibi commendo. Eja ergo, o Pater adoptive Redemptoris noli verba mea despicere; sed audi propitius et exaudi. Amen.

Digitized by Google

AD B. PETRUM APOST.

Si vis Patronum quaerere,
Si vis potentem Vindicem,
Quid jam moraris? invoca
Apostolorum Principem.
O Sancte coeli Claviger,
Tu nos precando subleva;
Tu redde nobis pervia
Aulae supernae limina.
Ut ipse multis poenitens
Culpam rigasti lacrymis,
Sic nostra tolli poscimus
Fletu perenni crimina.
O Sancte coeli etc.
Sicut fuisti ab Angelo
Tuis solutus vinculis,
Tu nos iniquis exue
Tot implicatos nexibus.
O Sancte coeli etc.
O firma Petra Ecclesiae,
Columna flecti nescia,
Da robur et constantiam.
Error fidem ne subruat.
O Sancte coeli etc.

Digitized by Google

Romam tuo qui Sanguine
Olim sacrasti, protege;
In Teque confidentibus
Praesta salutem gentibus.
O Sancte coeli etc.

Tu rem tuere publicam,
Qui Te colunt, fidelium,
Ne laesa sit contagiis,
Ne scissa sit discordiis.
O Sancte coeli etc.

Quos hostis antiquus dolos
Instruxit in nos, destrue;
Truces et iras comprime,
Ne clade nostra saeviat.
O Sancte coeli etc.

Contra furentis impetus
In morte vires suffice,
Ut et supremo vincere
Possimus in certamine.
O Sancte coeli etc.

Antiph. Tu es pastor ovium, Princeps Apostolorum, Tibi traditae sunt claves Regni coelorum.

℣. Tu es Petrus. ℟. Et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.

Digitized by Google

Oremus

Apostolicis nos, Domine, quaesumus, Beati Petri Apostoli tui attolle praesidiis: ut quanto fragiliores sumus, tanto ejus intercessione validioribus auxiliis foveamur; et jugiter Apostolica defensione muniti, nec succumbamus vitiis, nec opprimamur adversis. Per Christum etc.

—

AD B. PAULUM APOST.

Pressi malorum pondere
Adite Paulum supplices,
Qui certa largus desuper
Dabit salutis pignora.
O grata coelo Victima,
Doctorque, amorque gentium,
O Paule, nos Te Vindicem,
Nos Te Patronum poscimus.
Nam Tu beato concitus
Divino amoris impetu,
Quos insecutor oderas.
Defensor inde amplecteris.
O grata coelo etc.

Digitized by Google

Non Te procellae et verbera,
Non vincla, et ardor hostium
Non dira mors deterruit,
Ne sancto adesses coetui.
O grata coelo etc.

Amoris eja pristini
Ne sis, precamur, immemor,
Et nos supernae languidos
In spem reducas gratiae.
O grata coelo etc.

Te destruantur auspice
Saevae inferorum machinae,
Et nostra Templa publicis
Petita votis insonent.
O grata coelo etc.

Tu deprecante floreat
Ignara damni charitas,
Quam nulla turbent jurgia,
Nec ullus error sauciet.
O grata coelo etc.

Qua terra cumque diditur,
Jungatur uno foedere,
Tuisque semper affluat
Salubre nectar litteris.
O grata coelo etc.

Digitized by Google

Det velle nos quod imperat,
Det posse Summus Arbiter,
Ne fluctuantes horridae
Caligo noctis obruat.
O grata coelo etc.
Gloria Patri, et Filio etc.
O grata coelo etc.

Antiph. Vas electionis est mihi iste, ut portet Nomen meum coram gentibus et Regibus et filiis Israel.

℣. Ora pro nobis S. Paule Apostole.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Oremus

Omnipotens sempiterne Deus, qui Beato Apostolo tuo Paulo quid faceret, ut impleretur Spiritu Sancto, divina miseratione praecepisti; ejus dirigentibus monitis et suffragantibus meritis concede; ut servientes Tibi in timore et tremore, coelestium donorum consolatione repleamur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Digitized by Google

IN VISITATIONE STATIONUM

Pater, Ave, Credo, Confiteor.

℣. Deus in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri etc.

Psalmus 122.

Ad te levavi oculos meos: qui habitas in coelis.

Ecce sicut oculi servorum: in manibus dominorum suorum.

Sicut oculi ancillae in manibus dominae suae: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.

Miserere nostri, Domine, miserere nostri: quia multum repleti sumus despectione.

Quia multum repleta est anima nostra: opprobrium abundantibus et despectio superbis.

Gloria Patri.

Digitized by Google

Psalmus 24.

Ad te, Domine, levavi animam meam: Deus meus in te confido, non erubescam.

Neque irrideant me inimici mei: etenim universi qui sustinent te, non confundentur.

Confundantur omnes iniqua agentes: supervacue.

Vias tuas, Domine, demonstra mihi: et semitas tuas edoce me.

Dirige me in veritate tua et doce me: quia tu es, Deus, Salvator meus, et sustinui tota die.

Reminiscere miserationum tuarum, Domine: et misericordiarum tuarum, quae a saeculo sunt.

Delicta juventutis meae: et ignorantias meas ne memineris.

Secundum misericordiam tuam memento mei tu: propter bonitatem tuam, Domine.

Dulcis et rectus Dominus: propter hoc legem dabit delinquentibus in via.

Digitized by Google

Diriges mansuetos in judicio: docebis mites vias tuas.

Gloria Patri etc.

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Dicamus omnes.

℟. Domine miserere.

℣. Ex toto corde et ex tota mente, pro Ecclesia tua sancta catholica, quae in toto orbe diffusa est, supplicamus te.

℟. Domine miserere.

℣. Pro Pastore nostro N.... et grege sibi commisso flagitamus te.

℟. Domine miserere.

℣. Pro his qui in infirmitatibus et diversis laboribus retinentur, precamur te.

℟. Domine miserere.

℣. Pro remissione peccatorum vel emendatione eorum rogamus te.

℣. Domine miserere.

℟. Pro pace ecclesiarum, vocatione gentium et quiete populorum precamur te. ℟. Domine miserere.

Digitized by Google

℣. Exaudi nos Deus in oratione nostra. ℟. Quia pius es Deus.

OREMUS

Deus refugium nostrum et virtus: adesto piis Ecclesiae tuae precibus auctor ipse pietatis, et praesta: ut quod fideliter petimus efficaciter consequamur.

Largire, Domine, misericordiam tuam famulis supplicibus: et fac nos in tua veritate devotos; ut actibus in innocentiam restitutis, liberari mereamur ab impiis,

Domine Jesu Christe, Filii Dei vivi, qui confitentium tibi corda purificas et accusantem se conscientiam ab omni vinculo iniquitatis absolvis; da per nativitatis, passionis, mortis, resurrectionis et ascensionis tuae merita indulgentiam reis et medicinam tribue vulneratis, ut exclusa dominatione peccati, liberis tibi mentibus serviamus, et ad te pervenire mereamur. Qui vivis etc.

Digitized by Google

ORATIONES DIVERSAE

Pro Ordinandis.

Ecclesiae tuae, Deus sanctificator et custos, suscita in Ea, per Spiritum tuum, idoneos et fideles sanctorum mysteriorum dispensatores: ut eorum ministerio et exemplo Christiana plebs in viam salutis, te protegente, dirigatur.

Deus, qui ministrantibus et jejunantibus discipulis, segregari jussisti Saulum et Barnabam in opus ad quod assumpseras eos; adesto nunc Ecclesiae tuae jejunanti et oranti; et tu, qui omnium corda nosti, ostende quos elegeris in ministerium.

Bone Pastor, qui animam tuam posuisti pro ovibus tuis; et eæsdem carnis et sanguinis tui alimento vivificas; reple eodem charitatis spiritu quos ad gregis tui custodiam destinasti: ut libentissime pro salute ovium tuarum et impendant sua, et seipsos superimpendant. Qui vivis.

Ad renovandam Ordinationis gratiam.

Ressuscita in nobis, Domine, gratiam salutarem quam per manuum impositionem nobis largiri dignatus es; ut, quos tibi ministros consecrasti, fideles dispensatores inveniamur.

Digitized by Google

Deus, qui summus Sacerdos et hostia, tuo Corpore et Sanguine reficis ministros, quos tibi consecrasti: concede, quaesumus, ut tui sacerdotii consortes digne ambulemus vocatione qua vocati sumus, et plebem tuam pascere studeamus verbo et exemplo. Qui vivis.

Oratio Clerici in Minoribus Ordinibus constituti.

Confige me, Domine Jesu Christe, zelo domus tuae, ut stans jugiter ad ostium tabernaculi, et observans custodias Domini nocte et die, prohibeam profanari Templum gloriae tuae. Revela oculos meos ut legam in libro legis Dei distincte et aperte ad intelligendum. Contere Satanam sub pedibus meis velociter: et praesta, ut sic luceat lux mea coram hominibus, ut videant opera mea bona, et glorificent Patrem qui in coelis est. Amen.

Oratio Subdiaconi.

Domine Jesu Christe, qui sanctificari vis in iis qui appropinquant tibi, et mundari eos praecipis qui ferunt vasa Domini, et continentiam jubes. Da quod jubes, et jube quod vis; quis enim potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu

Digitized by Google

qui solus es? Munda me ergo ab omni inquinamento carnis et spiritus, ut perficiam sanctificationem meam in timore Dei: non praesumam circumdare altare tuum, aut tangere vasa, quae ad usum sanctuarii pertinent, nisi lavero inter innocentes manus meas, et fulserint velut mundissimae manus meae: nequando irascaris indignatione contra me, et percutias me super temeritate. Qui vivis, etc.

Oratio Diaconi

Domine Jesu Christe, sanctorum minister et tabernaculi veri, quod fixit Deus et non homo; qui quos constituerent Apostoli tui super Leviticum opus, viros plenos Spiritu sancto et sapientia eligi voluisti; et qui me non meis meritis intra eorumdem Levitarum numerum dignatus es aggregare, da mihi et omnibus qui tanto ministerio gloriantur, vigili sollicitudine pauperum tuorum curam habere, ut singulis, prout cuique opus est, dividantur bona tua: da Spiritum sanctum ad robur quibus commisisti consummandorum consortium sacramentorum: da habere Mysterium fidei in conscientia pura, et calceatos pedes in praeparatione Evangelii pacis, ut dignos nos facias in partem sortis sanctorum in lumine. Qui vivis etc.

Digitized by Google

Oratio Presbyteri.

Domine Jesu, Apostole et Pontifex confessionis nostrae, semper vivens ad interpellandum pro nobis: qui cum essem parvulus in oculis meis, ex hominibus assumpsisti me, et pro hominibus constituisti me in iis quae sunt ad Deum, ut offeram dona et sacrificia pro peccatis, et condolere possim iis qui ignorant et errant: emunda, quaeso, per sanguinem tuum conscientiam meam ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi, et sanctifica me in veritate; ut sacrificia mea consumantur igne quotidie, et tibi confixus cruci immoler ipse supra sacrificium. Fac ut bonus dispensator multiformis gratiae Dei, in membra tua illam administrans, impendam et superimpendar ipse pro animabus fratrum meorum, servorum tuorum; et concede ut te clarificans super terram, et opus consummans quod dedisti mihi ut faciam, ubi es tu, et ego sim tecum, ut videam claritatem tuam quam dedit tibi Pater, quia dilexit te ante constitutionem mundi. Qui vivis et regnas, etc.

Oratio pro infirmis.

Omnipotens sempiterne Deus, salus aeterne credentium, exaudi nos pro famulo tuo infirmo, pro quo misericordiae tuae imploramus auxilium, ut, redditâ sibi sanitate, gratiarum tibi in Ecclesia tua referat actiones. Per Christum. *Pater, Ave.*

Digitized by Google

ORATIONES JACULATORIÆ

Mane surgendo.

Ecce ego, Domine, quia vocasti me; ad te de luce vigilo; quid me vis facere? — Sitivit in te anima, quam multipliciter tibi caro mea! — In nomine Domini Jesu Christi (signa te) surgo; ipse me benedicat, regat, custodiat, et ad vitam perducat aeternam.

Induendo vestes.

Redde mihi, Domine, et conserva in me vestem innocentiae quam in sacro baptismate recepi, et indue me armaturam Dei ut possim stare adversus insidias diaboli. — Indue me novum hominem qui secundum Deum creatus est, in justitia et sanctitate veritatis.

Introeundo ecclesiam.

Domine, in multitudine misericordiae tuæ introibo in domum tuam: adorabo ad templum sanctum tuum et confitebor nomini tuo. — Quis poterit stare in conspectu tuo? — Domine Deus meus, averte faciem tuam a peccatis meis et omnes iniquitates meas dele. — Adorabo ad templum sanctum tuum, et reddam tibi vota mea, quae distinxerunt labia mea. — Exaudi me, Deus, et miserere.

Digitized by Google

Ante meditationem.

Loquere Domine quia audit servus tuus. — Vias tuas demonstra mihi et semitas tuas edoce me. — Deduc me in via tua, et ingrediar in veritate tua. — Notam fac mihi viam in qua ambulem, et doce me facere voluntatem tuam.

Post meditationem.

Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum. — Subjecta erit anima mea Deo, ab ipso enim salutare meum. — Pars mea Dominus; mihi adhaerere Deo bonum est, ponere in Domino spem meam.

Ad studium.

Revela oculos meos, et considerabo mirabilia tua. — Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me. — Ciba me pane vitae et intellectus, et aqua sapientiae salutaris pota me. — Aperi mihi cor intendere his quae ad nostram doctrinam scripta sunt. — Sint castae deliciae meae Scripturae tuae, nec fallar in eis, nec fallam ex eis. — Deus scientiarum Domine, mitte sapientiam de coelis sanctis tuis, ut mecum sit et mecum laboret. — Da mihi scientiam sanctorum, ut cognoscam te, solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum Dominum nostrum.

Exeundo domo.

Vias tuas Domine demonstra mihi et semitas tuas edoce me. — Gressus meos di-

Digitized by Google

rige secundum eloquium tuum ut non dominetur mei omnis injustitia. — Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea. — Mitte Domine Angelum tuum, qui praecedat me et custodiat in via. — Cohibe pedes meos ne aberrent in plateis civitatis. — Averte oculos meos ne videant vanitatem.

Post regressum in domum.

Vivit Dominus quoniam custodivit me angelus ejus, et hinc euntem et inde revertentem. — Absconde me, Domine, in abscondito faciei tuae a conturbatione hominum. — Protege me in tabernaculo tuo a contradictione linguarum, quoniam vidi iniquitatem et contradictionem in civitate. — Domine Pater, ne derelinquas me in consilio inimicorum; nec sinas me credere in illis.

Si labor aggravat.

Vide humilitatem meam, et laborem meum, et dimitte universa delicta mea.

Si vana gloria instat.

Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. — Vanitas vanitatum et omnia vanitas. — Quid hoc ad aeternitatem?

Si caro te stimulat.

Cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis. — Miserere mei Deus quoniam infirmus sum

Digitized by Google

et conturbata sunt omnia ossa mea et lumbi mei impleti sunt illusionibus. — Deus in adjutorium meum intende. — Exurge Domine adjuva me et refloreat caro mea vigore pudicitiae. — Etiamsi ambulavero in medio umbrae mortis non timebo, quia tu mecum es: non timebo quid faciat mihi caro. — Fiat cor meum immaculatum in justificationibus tuis.

Si premeris tristitia vel doloribus.

Afflictus sum et humiliatus sum nimis. — Domine ante te omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus. — Domine vim patior, ne derelinquas me, ne discesseris a me. — Complaceat tibi Domine ut eruas me: Domine ad adjuvandum me respice. — Sana animam meam quia peccavi tibi. — Flagella me, Domine, ad emendationem et non ad mortem. — Hic ure, hic seca, hic non parcas, ut in aeternum parcas. — Auge dolorem, auge et patientiam. — Redde mihi laetitiam salutaris tui, et spiritu principali confirma me. — Delicta juventutis meae, et ignorantias meas ne memineris. — In te Domine speravi, non confundar in aeternum.

Ad recreationem.

Pone Domine custodiam ori meo et ostium circumstantiae labiis meis, ut non loquatur os meum opera hominum. — Om-

Digitized by Google

nis sermo malus ex ore meo non procedat: sed si quis bonus ad aedificationem fidei ut det gratiam audientibus. — Sermo meus semper in gratia sale sit conditus, ut sciam quomodo me oporteat unicuique respondere.

Passim per diem.

*Fiat, laudetur atque in aeternum superexaltetur justissima, altissima et amabilissima voluntas Dei in omnibus. — Deus meus es tu; in manibus tuis sortes meae. — Quid mihi est in coelo, et quid volui super terram? — Deus cordis mei, pars mea Deus in aeternum. — Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. — Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. — Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei mei. — Satiabor cum apparuerit gloria tua. — Deus meus et omnia! — Omnia et in omnibus Christus. — Mihi adhaerere Deo bonum est: ponere in Domino Deo spem meam.

Exeundo vestes.

Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis induite novum, eum qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus qui creavit illum — Ps. 4. Cum invocarem. — Ps. 50 Miserere mei Deus.

In nomine Domini Jesu Chriti cubitum

Digitized by Google

eo; ipse me benedicat, regat, et ad vitam perducat aeternam.

In cubili positus dicas:

Benedictio Dei Omnipotentis Patris et Filii et Spiritus Sancti descendat super me et maneat semper. Amen. — O bone Jesu! esto mihi Jesus. — In pace in idipsum dormiam et requiescam.

—

BENEDICTIO MENSAE

Benedic, Domine, nos et haec tua dona quae de tua largitate sumus sumpturi. Per Christum etc.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster.

Ad prandium. Mensae coelestis participes faciat nos Rex aeternae gloriae

Ad coenam. Ad coenam vitae perpetuae perducat nos Rex aeternae gloriae.

GRATIARUM ACTIO POST MENSAM

Agimus tibi gratias, omnipotens Deus pro universis beneficiis tuis qui vivis etc.

Pater noster.

Retribuere dignare Domine, omnibus nobis bona facientibus, propter nomen sanctum tuum, vitam aeternam. Amen.

℣. Benedicamus Domino ℟. Deo gratias.

℣. Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

Digitized by Google

ORATIO ANTE CONFESSIONEM

Suscipe confessionem meam, piissime, ac clementissime Domine Jesu Christe, unica spes salutis animae meae: et da mihi obsecro contritionem cordis, et lacrimas oculis meis, ut defleam diebus ac noctibus omnes negligentias meas cum humilitate, et puritate cordis. Appropinquet oratio mea in conspectu tuo, Domine. Si iratus fueris contra me, quem adjutorem quaeram? Quis miserebitur iniquitatibus meis? Memento mei Domine, qui Chananeam, et Publicanum vocasti ad poenitentiam, et Petrum lacrimantem suscepisti: Domine Deus meus, suscipe preces meas, Salvator mundi Jesu bone, qui te crucis morti dedisti, ut peccatores salvos faceres; respice me miserum peccatorem invocantem nomen tuum, et noli sic attendere malum meum, ut obliviscaris bonum tuum. Et si commisi unde me damnare potes, tu non amisisti unde salvare soles. Parce ergo mihi, qui es Salvator meus, et miserere peccatrici animae meae. Solve vincula ejus, sana vulnera. Domine Jesu Christe, te desidero, te quaero, te volo: ostende mihi faciem tuam, et salvus ero. Emitte igitur, piissime Domine, meritis purissimae et immaculatae semper Virginis Genitricis tuae Mariae, et Sanctorum tuorum, lucem tuam

Digitized by Google

et veritatem tuam in animam meam, quae omnes defectus meos in veritate mihi ostendat, quos confiteri me oportet: atque juvet, et doceat ipsos plene, et contrito corde explicare. Qui vivis et regnas etc.

ORATIO POST CONFESSIONEM

Sit tibi, Domine, obsecro, meritis beatae semper Virginis Genitricis tuae Mariae, et omnium Sanctorum, grata et accepta ista confessio mea, et quidquid mihi defuit nunc et alias de sufficientia contritionis, de puritate, et integritate confessionis suppleat pietas, et misericordia tua, et secundum illam digneris me habere plenius, et perfectius absolutum in coelo. Qui vivis etc.

ORATIO S. THOMAE AQUINATIS ANTE COMMUNIONEM

Omnipotens, et misericors Deus, ecce accedo ad sacramentum Unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi. Accedo tanquam infirmus ad medicum vitae, immundus ad fontem misericordiae, caecus ad lumen claritatis aeternae, pauper, et egenus ad dominum coeli er terrae. Rogo ergo immensae largitatis tuae abundantiam, quatenus meam curare digneris infirmitatem,

Digitized by Google

lavare foeditatem, illuminare caecitatem, ditare paupertatem, vestire nuditatem: ut te panem Angelorum, regem regum, et dominum dominantium, tanta suscipiam reverentia et humilitate, tanta contritione, et devotione, tanta puritate, et fide, tali proposito, et intentione, sicut expedit saluti animae meae. Da mihi, quaeso. Dominici corporis et sanginis, non solum suscipere sacramentum, sed etiam rem et virtutem sacramenti. O mitissime Deus! Da mihi corpus Unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi, quod traxit de virgine Maria, sic suscipere, ut corpori suo mystico merear incorporari, et inter ejus membra connumerari. O amantissime Pater, concede mihi dilectum Filium tuum, quem nunc velatum in via suscipere propono, revelata tandem facie perpetuo contemplari. Qui tecum vivit etc.

ORATIO S. THOMAE AQUINATIS POST COMMUNIONEM

Gratias tibi ago, Domine Sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui me peccatorem indignum famulum tuum, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiae tuae satiare dignatus es pretioso corpore, et sanguine filii tui Domini nostri Jesu Christi. Et deprecor te, ut haec sancta commu-

Digitized by Google

nio non sit mihi reatus ad poenam, sed intercessio salutaris ad veniam. Sit mihi armatura fidei, et scutum bonae voluntatis. Sit vitiorum meorum evacuatio: concupiscentiae, et libidinis exterminatio: charitatis, et patientiae, humilitatis, et obedientiæ, omniumque virtutum augmentatio: contra insidias inimicorum omnium, tam visibilium, quam invisibilium, firma defensio, motuum meorum tam carnalium, quam spiritualium, perfecta quietatio: in te uno, ac vero Deo firma adhaesio: atque mei finis felix consummatio. Et precor te, ut ad illud ineffabile convivium me peccatorem perducere digneris, ubi tu cum Filio tuo, et Spiritu sancto, sanctis tuis es lux vera, satietas plena, gaudium sempiternum, jucunditas consummata, et felicitas perfecta. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

PRAEPARATIO AD MISSAM

Ego volo celebrare Missam, et conficere corpus, et sanguinem Domini nostri Jesu Christi, juxta ritum sanctae Romanae Ecclesiae, ad laudem omnipotentis Dei totiusque curiae triumphantis, ad utilitatem meam, totiusque curiae militantis, pro omnibus qui se commendaverunt orationibus meis in genere, et in specie, et pro felici statu sanctae Romanae Ecclesiae. Amen.

Digitized by Google

Gaudium cum pace, emendationem vitæ, spatium verae pœnitentiæ, gratiam et consolationem sancti Spiritus, perseverantiam in bonis operibus tribuat nobis omnipotens, et misericors Dominus. Amen.

Oratio ad B. V. Mariam.

O Mater pietatis, et misericordiae, beatissima Virgo Maria, ego miser et indignus peccator ad te confugio toto corde, et affectu: et precor pietatem tuam; ut sicut dulcissimo Filio tuo in cruce pendenti adstitisti, ita et mihi misero peccatori, et sacerdotibus omnibus hic, et in tota sancta Ecclesia hodie offerentibus, clementer adsistere digneris; ut tua gratia adjuti dignam, et acceptabilem hostiam in conspectu summae, et individuae Trinitatis offerre valeamus. Amen.

GRATIARUM ACTIO POST MISSAM

Omnipotens sempiterne Deus, conservator animarum, mundique Redemptor, me famulum tuum ante Majestatem tuam prostratum benignissime respice, et Sacrificium quod in honorem nominis tui, pro salute fidelium tam vivorum, quam etiam defunctorum, et pro peccatis et offensionibus meis obtuli, piissime recipe; iram tuam a me remove; gratiam et misericordiam mihi concede; januam Paradisi mihi pande; ab omnibus malis me potenter eripe; et quidquid

Digitized by Google

proprio commisi reatu, clementer indulge. Et sic in hoc saeculo in praeceptis tuis fac me perseverare, ut dignus electorum gregi copulari efficiar, te praestante, Deus meus, cujus nomen benedictum, honor atque regnum permanet in saecula saeculorum. Amen.

Oratio ad B. V. Mariam.

O sacratissima, et benignissima Virgo Maria, mater Domini nostri Jesu Christi, regina coeli, et terrae: quae eumdem Creatorem omnium creaturarum in tuo sancto utero digna fuisti portare, solaque virgineo ubere lactare: cujus corpus, et sanguinem ego indignus modo sumere præsumpsi: tuam humiliter misericordiam deprecor, per passionem, et mortem ejusdem Filii tui, ut apud ipsum pro me misero peccatore intercedere digneris; ut quidquid in hoc sacrosancto sacrificio irreverenter, ignoranter, negligenter, vel incaute commisi, aut omisi, tuis sanctissimis precibus, mihi dignetur indulgere. Amen.

FINIS

Digitized by Google

INDEX

Preces matutinae . . . . *Pag.* 3
Brevis meditandi methodus . . . 6
Ad particulare examen: *Litaniae SS. Nom. Jesu... O Domina mea...* 10
Ad preces vespertinas 15
Litaniae Lauretanae 18
Ps. Miserere 22
Orationes pro defunctis 25
Ordo Missae 27
Oratio: *En ego, o bone et dulcissime Jesu* 43
Actus fidei, spei, caritatis, contritionis. 45
Ad Spiritum Sanctum: *Veni Creator... Veni Sancte Spiritus... (Seq.).* . . 46
Officiolum S. Spiritus. 49
Ad SS. Sacramentum: *Ave verum... Ecce panis... Respice Domine... Adoro te... Anima Christi... Dio sia benedetto... Pange lingua.* 58
Jubilus post Communionem. . . . 60
Officiolum de SS. Sacramento. . . 61
Ad SS. Cor Jesu: *Ave admirabile Cor... O Cor amoris victima... Jesu dulcis memoria.* 70
Officiolum SS. Cordis Jesu. . . . 75
Ad Jesum Crucifixum: *Versus de passione. Obsecro te dulcissime Domine... O Clementissime Jesu... Stabat Mater* 83
Officiolum S. Crucis 86

Digitized by Google

Invocationes S. Thomae. . . *Pag.* 92
Ad B. Mariam Virginem: *Ave Augustissima... Memorare... Salve Regina... O Domina mea o Mater... Inviolata* 93
Oblatio sui ad B. M. V. 96
Officiolum Im. Conc. B. M. V. . . 97
Ad SS. Cor Mariae: *Loquar ad Cor tuum...Laetabunda canant.* . . . 104
Officiolum purissimi Cordis Mariae . 108
Ad B. Joseph: *Salve Pater... Quicumque sanus vivere... Adjutor est... Virginum custos... Memorare.* 113
Ad. B. Petrum Ap: *Si quis Patronum* 118
Ad B. Paulum Ap. *Pressi malorum.* . 120
In visitatione Stationum . . . 123
Orationes diversae: *Pro ordinandis; ad renovandum ordinis gratiam; oratio clerici; subdiaconi; diaconi; presbyteri; pro infirmis.* 127
Orationes Jaculatoriae; *mane surgendo; introeundo ecclesiam; ad studium; exeundo domo; si premeris tristitia; passim per diem; exeundo vestes; etc.* . . 131
Benedictio Mensae 136
Oratio ante et post Confessionem. . 137
Oratio ante et post Communionem . 138
Praeparatio ad Missam 140
Gratiarum actio post Missam . . 141

Cum permissione Superiorum

Digitized by Google

Digitized by Google

152.968

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google